IG

D

C

JE

C I

Sacerc
digne
fructu

C

OFI

Jux

T

S.

C. C

Cum

F

Crac:

IGNIS ALTARIS
&
DIVINI OFFICII
Sive
COR ARDENS
JESU CHRISTI
CRUCIFIXI AMORE

Sacerdotis ad Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium digne celebrandum, & Officium Divinum fructuoſè perſolvendum ſe præparantis per ignita ſuſpiria.

COLLECTA.
OFFICIUM DEFUNCTORUM
Juxta Ritum S. Ord: Prædicatorū.
TRACTATUS
De Vita Spirituali
S. VINCENTII FERRERII.
C. O. *Præd. in gratiam recollizantium, ac aliæ devotæ Orationes.*

Cum facultate Superiorum. Anno D. 1756.
REIMPRESSA.

Crac: Typis Michaëlis Dyaſzewſki S.R.M. T.

PP. Camald. Insulæ Vigrensis.

Vigilate & orate ne intretis in tentationē. *In tentationem vadit qui ad orationem non vadit.* B. Eucherius:

Recedit à Deo, qui se per orationem non jungit cum Deo. S. Gregorius Nis:

Rem terrenam ab homine terreno quærimus & propè usq; ad terram nos humiliter inclinamus & à Deo remissionem peccatorū & æternam requiē inquirentes nec capita nostra inclinare dignamur B. Cæsar Arelaten:

Sive in Ecclesia fueris, sive domi tuæ, sive in agro, sive pascas oves, sive ædificia construas, ab oratione cave: desistas, & quocunq; poteris flecte, & quando non poteris mente Deum *invoca, & vespere & mane & meridie.* S. Efrem.

Quod sæpe orans non impetraveris tua est causa aut enim non ad salutē facientia rogasti, si salutaria non attente, si attente minime perseveranter. S. Basilius.

Meditare bona, ut in mediteris mala, siquidem mens non patitur otiū S. Efrem.

Vult Dominus noster absq; dubio misereri, qui se præcepit exorari, non erit difficilis ut invocatus exaudiat, qui importunitatē supplicatis expectat B. Eucheri9.

Sanctis Utriusq; Thaumaturgis.
HYACINTHO
ODROVANSIO Conf: Ord: Pr.
Ejusdēq; in Septentrione Propagatori
SSmi Rosarij Fundatori.
Universali in afflictionibus corporis & Animæ Patrono.
Invocantium Clementissimo Protectori.
VINCENTIO FERRERIO.
Judicis tremendi Præcursori.
Miraculorum Patratori.
Pænitentium Asillo.
Peccatorum Excitatori.
Morientium Defensori.
JESU CHRISTI
Domini Nostri & SSmæ Virginis
MARIÆ.
Clientibus fidelissimis, servis dilectissimis, Cultus Ejusdem defensoribus Zelozissimis.
D. D. D.

Oratio Commendatoria.

ALienum Ignem Vobis Cæli Incolis offero cum rubore terrenus tenebrio Patroni SS. Clementissimi, humilem deponens supplicationem ut eodem cor meum accendi, faciatis ac impetretis. Infallibilis sponsio Augustissimæ Cælorum Reginæ Tibi data Sancte HYACINTHE, quia
quid.

quidquid petieris illa interveniente impetrabis, succurrere digneris Tuo indignissimo mancipio, & quidquid, cum Dei voluntate, ac placito Majestatis Ejus videris necessarium saluti Animæ mihi ac omnibus Tuis devotis impetrare digneris. Ferrea peccatorum corda Tua oratione & prædicatione vicisti Sancte VINNCENTI FERRERI, Statuendos à sinistris desperatos hædos dextræ manus Dei in oves transformatos suaviter subjugasti, Cælesti Ovili acgregasti, errantem ut ovem Animam meam deduc in viam mandatorum Dei & conserva. Gelida peccatorum corda, vitâ, exemplo, fervore vestro inflammastis o Sancti Patroni, nunc in Cæli Patria, igne Divini amoris æstuatis, unam saltim scintillam nobis impetrate, o Vos qui ad opulentissimam sedetis mensam, & satiamini. Catello famelico micas porrigite, Vos immersi & absorpti estis in abysso lucis inaccessibilis, Ejus radiolum mihi exorate. Levabo oculos meos ad Vos in montibus æternis constitutos unde veniat exoro auxilium mihi indignissimo peccatori.

REIMPRIMATUR.

M. Stanislaus Mamczyński, Utriusq; J. Doctor, & Professor, Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Censor. m. pp.

Datum in Collegio Iuridico, Anno Domini 1756.

AD LECTOREM.

IN Tabernaculo antiquo ignem perpetuum ali præceperat Dominus, quem extingvi piaculum fuiſſet; Quapropter dicitur *Levit:* 6. Nutriet Sacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies. Hic ignis deſignabat ignem illum Sacrum, quē Dominus venit mittere in terram, nempe corda fidelium, ſed potiſſimū Sacerdotum. Hi enim cùm ad Deum, qui Ignis conſumens vocatur, *Deutor:* 4. quotidie debeant accedere, per varias functiones, novo ſemper egent Spiritu, novo Spiritûs fervore, qui non conſumit, ſed perficit, non in cineres, ſed in Deum animas, continuò transformat. Verùm prô dolor! in multis Sacerdotibus Prophetia illa adimpletur. Supercecidit ignis, & non viderunt Solem: *Pſal:* 57. Ignis iſte fumoſus lucidiſſimum Solis jubar obſcurans, ignis ſuperbiæ eſt, ut explicat

Divus August: Ignis concupiſcentiæ, ignis iracundiæ. Non viderunt Solem, de quo dicturi ſunt illi: Sol non eſt ortus nobis, quia vicit illos concupiſcentia carnis. Hunc ignem vocat *S. Bernard Serm:* 2. de Purific: ignem alienum, quem ſi quis in Divino Sacrificio offerre præſumpſerit, etiamſi Patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate ſua.

Porrò Ignis alienus ait Abſalon Abbas *Serm:* 25. eſt luxuria, quæ eſt in cubilibus & impudicitijs: ignis alienus eſt iracundia; quæ eſt in diſſenſionibus, & contumelijs; ignis alienus eſt invidia quæ eſt in detractione alienæ virtutis. Ignis alienus, inquit *S. Ambroſ: annot:* 1. *in Levit:* eſt libido; ignis alienus eſt omne incendium injuſtæ cupiditatis; ignis alienus omnis ardor avaritiæ. Hoc igne nemo mundatur, ſed exuritur. Sacrificia verò ſua alieno incedunt igne, qui Deo ſerviunt,

viunt, non ex amore, sed pro lucro externo, ut Joan. Rusbrochius de Tabernac: fœder: Capite 116. scribit. De eadem re sic disserit, Paulinus Sanctissimus Nolæ Episc: Epist: 29. ad Aptum. Ignem mihi alienũ videtur accendere, quisquis corporeæ, vel sæcularis alicujus cupiditatis ignem in Sacratio sui cordis accendens, audet appropinquare Altaribus Domini, quæ non recipiunt nisi illius accensionem, de quo ait: Ignem veni mittere in terram. Hic solus ignis, igni resistet æterno. Sed dices fortè: quomodo possum hunc ignem alienum elongare à me ipso, si in peccatis natus sum totus, & in peccatis concepit me Mater mea? precare Solem justitiæ, Jesum Cruci affixum, ut oriatur in te, & præoccupet cor tuum in Spiritu ardoris. Dic cum S. Augustino: *Rogo Te per illa salutifera Vulnera, hanc Animam meã*

peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es Vulnera: Vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis, o ignis qui semper ardes, & nunquam obscuraris, illumina me! o utinam arderem ex te! ignis Sancte! quàm dulciter arderes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris! væ ijs qui non ardent te. Ardebat S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, qui ita versabatur in Altaris Officio, ácsi Passionem Domini JESU Christi coram se agi vidisset. Quare & Sacerdotis sacrificantis non alia sit Oratio aut contemplatio, quàm unica & sola Christi pro nobis passi, in hoc mysterio latentis, recordatio. Memoria etenim in obligatione hac agitur illius, quam in sua Passione Dei Filius nobis notam fecit excelintissimæ charitatis, quâ nulla major, nulla utilior, nulla amabilior, nullaq; oculis Divinæ

Maje-

Majeſtatis eſt gratior; inquit Sanctus Laurent: Juſtin: Ser: de Euchariſt: S. Bernard: verò Tom: 4. ſer: 4. Ciner: ait: Niſi Oratio ponatur ſuper igne Crucifixi, nil prodeſt, quia ignis eſt Chriſtus. Quemadmodum autem, ut Oleaſter inquit in C. 6. Levit: Tribus ſolet ignis foveri: Lignis, flatibus. & cineribus: ſic & Divinus Ignis, bonis operibus, quæ per ligna deſignantur: Suſpiriis & gemitibus, quæ flatibus, humilitate, quæ cînere adumbratur. Sanctus Philippus Nerius, cùm aliquando à quodam interrogaretur; quantum præparatio ad Miſſam requireret tempus? reſpondit: Præparatio equidem neceſſaria ſed omnium excellentiſſima, eſt jugis Sacerdotis integritas, ita ſemper viventis, ut quacunq; hora paratus ſit dicere Miſſam & communicare. *L. 1. C. 20. n. 17.* vitæ. Quo non oportet eſſe puri-

orem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igne ſpirituali repletur? lingua, quæ tremendo nimis Sangvine rubeſcit. *S. Chryſoſtom: 60.*

SU-

SUSPIRIUM I.

Ad Jeſum Crucifixum.

Ex agnitione indignitatis.

HEu Domine JESU Crucifixe, quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? his nimirum plagatus es in domo eorum qui diligebant Te, ſed potiſſimum à me.

Ego ſum miſer ille, & infelix Sacerdos, qui tibi tot vulnera inflixi, Teq; rurſus peccatis meis, heu nimis multis & magnis crucifixi.

Tu bone JESU coram Pontificibus & Sacerdotibus, veluti reus ſteтiſti, ut ego factus genus electum, regale Sacerdotium ſedere poſſem cum Principibus populi Tui, & haberem laudem in Nomine Tuo, & offerrem Tibi incenſum in odorem ſvavitatis.

Tu dulcis JESU ſaturatus es opprobriis, ut ego ſatiarer cùm appa-

rebit gloria tua: Faciem tuam non avertisti à conspuentibus in Te, ut ego in tuã aspicere æternũ possem.

O me ingratum hominem! quid feci? pro tantis bonis, tanta reddidi mala, heu me quid feci?

O infelix Anima, quomodo calamitates tuas depingam! utinam potiùs nunquam fuissem, quàm Deum vel semel offendissem, quid enim prodest vivere iniquè.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lacrymarum? quid dicam Deus meus? multum datum est mihi, negare non audeo; sed cui multùm datum est, nonnè ab eo multùm exigetur?

Dátum est mihi, ut verbo & exemplo à corruptione luxuriæ, avaritiæ, invidiæ, servem alios &c: & ecce infatuatus ego in ijsdem evaresco.

Væ mihi, qui ad hoc positus sum

Sacerdos ut orem pro populo, & tamen officio meo non fungor: qui in negotijs temporalibus, in vanis colloquijs, in mundi vanitatibus, in carnis delicijs &c: quotidianus; tam rarus verò & tepidus ad Altare tuum invenior.

Quis es Tu dulcissimè JESU & quis sum ego? ut præsumam Te mittere in latrinam fætidam corporis mei, & Animæ meæ? ut quid me fecisti, ut Tibi injuriam hanc grandem & execrandam facerem? mille enim lacrymarum anni non sufficerent, ad tam nobile Sacramentum semel dignè percipiendum, quantò magis ego miser indignus sum, qui quotidie pecco, incorrigibilis persevero, & in peccatis accedo.

Nota *S. Bernardus, licet tantâ vitæ innocentiâ refulgeret, attamen ad Sacrum Altare accessurus, toto*

corpore contremiscebat. Unde de semetipso ita scribit, Lib: de inter dom: C. 36. Hoc verò mihi est omni infelicitate miseriùs, quod ita opere perversus, ore pollutus, corde immundus, ad Altare accedo, & Christi Corpus manibus meis pertractare non erubesco: accedo elatus, ad humilem, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem. *Quæ quidem verba ex summæ humilitatis motivo dicebat, ac verò quot sunt hisce temporibus, qui (quæ summa nostra miseria est) in hisce defectib9 omninò culpabiles existunt.*

SUSPIRIUM II.

Ante Confessionem.

AD tuos Sanctissimos pedes Crucifixè JESU pronus confugio, & totis Animæ viribus clamo: O JESU peccatorum asyllum, ne projcias me à Facie tua, nec à complexu pedum tuorum in æternum me separari permittas! A-

Agnosco peccata mea Passionis & mortis tuæ causam esse; quia ego ad illicita manus meas extendi, & pedes meos â via mandatorum tuorum averti, & in semitis impiorum posui, ideò manus & pedes tui clavis sunt perforati.

Sed doleo o JESU, ex corde intimo doleo, non quia infernum merui, aut gaudia æterna perdidi, sed quia Te offendi, qui sũmè bonus es!

Quoties o inexhausta bonitas in ipsis peccatis morti me in spolium permittere potuisses & æternùm perdere, & hucusq; tamen conservasti! Millenæ Animæ in igne inextingvibili jam ardent, æternumq; ardebunt, & minorum & paucioruũ quàm ego scelerum reæ; & ego nondum ardeo, toties læsæ Majestatis reus, o quantùm infinitæ tuæ misericordiæ debeo!

Pater peccavi, & super arenam ma-

maris multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, ſed venio ut laver, o fons vitæ æternæ, ad quem ſitio ut cervus ad fontes aquarum. Venio ut illuminer o lux mea! ut amem Te o Amor æterne!

O Domine JESU! o veritas mea DEUS meus! proteſtor coram Te hodie, quia ſincero corde Te amare & complecti volo, & ideò confitebor Tibi, & non abſcondam peccatum meum.

O Pater æterne! da meminiſſe peccatorum meorum! o Fili DEI, da cognoſcere & expendere! o S. Spiritus, da timere mortem & hoſtes meos, & Te omne bonum non abhorrere!

Propono in æternum non declinare à mandatis tuis in conſpectu tuo DEUS meus, DEUS cordis mei. Ita ſtatuo in præſentia B. MARIÆ Virginis, & Sanctorum Tuorum,

ques omnes in testes hujus deside-rij mei, & auxiliatores, maximè Patronos meos invoco. Adjuva me o JESU pro me Crucifixe unica spes mea!

Hic fiat Examen Conscientiæ.

Nota. *S. Rainero, peccatum quodpiam in Confessione tacere cogitanti, Angelus, ut integrè sanctéq; confiteretur, persvasit; & præ verecundia tacenti, dixit:* Raineri, peccatum tacuisti. *Annus Cœlestis.*

SUSPIRIUM III.

Post Confessionem.

O JESU pro me Crucifixe, quantorum ego Tibi dolorum causa fui! verè langvores meos tulisti bone JESU, & dolores meos portasti.

O ardentissima Charitas quàm svaviter uris! quàm fortitèr trahis in funiculis Adæ & charitatis, an adhuc resistam Tibi? & non detester iniquitatem meam?

Verè Tu o JESU non vis mortem peccatoris, qui omnia ea, quæ rapuit peccator, tàm liberaliter in Cruce exolvisti, sed magis ut convertatur & vivat.

Pro peccatore inobediente, factus es obediens, usq; ad mortem Crucis: pro superbo, novissimus virorum: pro gulolo in siti tua aceto potatus, & vino felle & myrrha mixto: pro iracundo, velut ovis coram tondente obmutuisti: pro libidinoso, flagellis cæsus: pro avaro, Corpus tuum dedisti percutientibus; pro invidio, inimicis & Crucifixoribus tuis in Cruce ignovisti: pro pigro & deside, Tu clamore valido inter atrocissimos dolores in Cruce pendens tres horas orasti, & pro reverentia tua auditus es.

Verè non est similis tui in Diis Domine, quia misericordia tua magna

gna est super me, & eruisti Animã meam ex inferno inferiori. Benedictum sit Nomen tuum sanctissimum o JESU in omnem æternitatẽ.

O Domine, o Charitas, DEUS meus! da mihi obsecro, ut non sit Sangvis Tuus pro me fusus in vanum. Ardeat in me amor tui, ne per corporem principatum meum accipiat alter. Ah JESU, confirma quod operatus es in me, ne fiant aliquando novissima mea, pejora prioribus.

In Sacrificium pro peccatis meis dulcissime Sponse Animæ meæ, flagella illa Tibi propono, quibus delicatissimum Unigeniti Filij tui JESU Christi Corpus fuit laceratum; spinas quæ sacrum illius caput penetrârunt; clavos, qui manus pedesq; transfixerunt; Crucem, quæ ipsum sustinuit; Lanceam, quæ incensũ amore Cor vulneravit; deniq;

vulnera, quæ ipse pro me accepit.

Ob hæc omnia peto o DEUS, conteri cor meum! ut contritum, & in pulveres contritione redactū, tuæ charitatis igne áccendatur, & in Sacrificium, & in Holocaustum svavitatis totum cosumatur.

Nota. *S. Joannes Eléèmosinarius Episcopus, dùm aliquandò Missam celebrans, offertorio jam vicinus, recordáretur proximum suum, aliquod contra se odium concepisse, subitò sub alio prætextu Altare deseruit, & ad Clericum offensum adveniens, se ad ejus pedes prostravit, qui iram Dei pertimescens, se quoq; in terram ante pedes S. Viri abjecit placatus.* Surius 23. Jan:

SUSPIRIUM IV.

Ante Celebrationem Missæ.

O Amantissime JESU Crucifixe! ego peccator maximus, celebrandi munere indignissimus, ad Sa-

crum

erum Altare tuum accedam, ad offerendum illud admirabile, immaculatum, Cœleste & Sanctum Sacrificium, quod Tu Domine DEUS meus Sacerdos immaculatus instituisti, & offerri præcepisti, in commemorationem mortis & Passionis Tuæ, pro salute nostra, & pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione.

Suscipe me Domine JESU cum oblatione hujus Hostiæ immaculatæ, in laudem, gloriam, beneplacitum tuum, in unione illius oblationis, quâ Temetipsum, in Ara Crucis obtulisti, & Teipsum Æterno Patri tuo, infinitè gratum, una cum omnibus meritis vitæ Passionis, & mortis tuæ repræsenta & offer.

Doleo mi Domine Creator ac Redemptor meus, solùm ob amorem tui, quod toties & tàm graviter Te DEUM meum peccatis meis of-

is offenderim, & hactenus tàm indignè secundùm vocationem meam vixerim.

O JESU miserere! o JESU ignosce! o JESU parce pœnitenti, non ampliùs Te offensuro! Ablue Animam meam pretioso Sangvine tuo adorna eam meritis & virtutibus tuis, & gratum Tibi in ea hospitum præpara.

Extende Sacratissimas Manus tuas ad amplexandam Animam meam, sicut easdem perforatas Manus tuas inter maximos mortis dolores extendisti.

Veni ad me o unica salus mea! eligensq; Tibi sepulturam in me, sepeli me totum vicissim in Te, ut omnibus aliis mortuus, Tibi soli vivam, novum fervorem acquiram, novum hominem induam, & sic in fruitione mellifluæ tuæ præsentiæ, sit mihi perpetua in Te requies.

No-

Nota. *Sequentia verba dic cum magno affectu, quæ Christus dixit S. Gertrudi L. 2. C. 19. quod qui tali intentione ad Communionem accederet, nunquam irreverenter accedere posset.*

Et licet sciam me extremè indignissimum, imò execrandum & abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tua confisus, eô modô & intentione ad hanc Sacratissimam Corporis & Sangvinis tui participationem accedo, ut amore amoris & gloriæ tuæ parvi pendam (etiamsi possibile esset) quod magnam damnationem mihi in hoc Sacramento sumerem, ut tantummodò Divina pietas tua magis clarescat per hoc, quod Te tàm indigno non dedignaris communicare.

Nota. *S. Petrum Cœlestinum Christus monuit, ne à Sacrificio celebrando abstineret, ob eas sordes, quæ in*

somno,

somno, etiam castis corporibus pos- sunt, animò invito, accidere. Ann. Cælest. 19. Maij.

SUSPIRIUM V.

Missæ oblationis.

O Pater Cœlestis, da mihi virtutem ad opus hoc maximum perficiendum, pauperculam Animam & cor meum tepidum Tibi trado: o Sancte Spiritus accende cor meum, & Animam meam igne charitatis purifica.

Ecce Cælestis Pater recolens illam mortem unigeniti tui, offerro Tibi Hostiam hanc, quam ipse Tibi obtulit, pro mea & totius mundi salute.

Recordare illius Sacrosancti sudoris, quasi guttæ sanguinis decurrentis. Respice illam virgineam carnem, verberibus crudelitèr flagellatam, sangvine cruentatam, spinis perforatam, clavis confixam, lanceâ vulneratam. Re-

Reſpice obſecro, non mea peccata, ſed in faciem Chriſti tui, non enim in juſtificationibus meis proſterno precs ante faciem tuam ſed in multitudine miſerationum tuarũ.

O Bone JESU! rogo Te per illum amorem, qui Te incarnari, pati & mori cóëgit, ut concedas mihi miſero Sacerdoti, hoc Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, pura intentione, humili revérentia, ardenti deſiderio, & ſummo fervore, Tibi offerre ad laudem & gloriam æternam majeſtatis tuæ, ad honorem dulciſſimæ Genitricis tuæ V. MARIÆ, omniumq; Sanctorum, præcipuè N.

In proteſtationem ſupremi dominij tui, in omnes creaturas, infinitæq; tuæ majeſtatis. In ſacrificium laudis & gratiarum actionis propter immenſam gloriam tuam, tùm collata omnibus omnino beneficia.

In

In Sacrificium Spiritûs contribulati ad ſatisfaciendum pro meis ac totius mundi peccatis. In Sacrificium juſtitiæ ad impetrandam gratiam, quâ omnes Te cognoſcant, Tibi credant, in Te ſperent, Te diligant, adorent, Tibi ſerviant, & ſic ſalvi fiant.

Rogo Te igitur per viſcera miſericordiæ Tuæ, ut idem ſuſcipias ac Patri tuô offeras, in ea virtute quâ illi moriens, in Cruce Spiritum tuum tradidiſti, ut vivis tuam gratiam, defunctis requiem, nobis omnibus clementiam, vitamq; largiaris ſempiternam Primarió tamen offero pro (N.) ſecundarió verò pro (N.)

Nota. *Per Orationem* Ego volo celebrare Miſſam &c. *ante Sacrum recitatam ex conceſſione* GREGORII XIII. *Indulgentiam* 50. *annorum acquiri: Quæ per Decretum* INNOCENTI XI. *non eſt revocata.*

ORA-

ORATIO.

Præparatoria ad Missam.

EGo in sceleribus à juventute mea, miser vilis & immundus; terra & cinis, putredo, vermis & non homo, qui toties DEUM offendi, proximum læsi, mihi non peperci. *Volo* DEI voluntate, DEI beneplacito, DEI dispensatione, misericordia, gratia & benignitate; *Celebrare*, rem maximam Angelis non concessam contrectare, de Cælo DEUM advocare, in manibus meis Filium DEI velut in visceribus Matris ipsum complecti, Spiritum Christi suscipere, Divina mysteria contemplari, Angelorum reverentiam & obsequium admirari, Passionis memoriam recolere, futuræ gloriæ pignus accipere, vivos & mortuos adjuvare. *Missam* Passionis Christi repræsentationem unigeniti DEI Filij Sacrificium, redemptionem humani

mani generis, Trinitatis glorian
Angelorum lætitiam, justorum soli
tium, peccatorum veniam, vivor
subsidium, mortuorum refrigeriu
Et conficere Transsubstantiare i
Christi Corpus panem, & in eju
Sangvinem vinum omni humilita
te, devotione, attentione & puri
tate; *Corpus* Divinum verum im
mortale, impassibile, gloriosum, vi
atorum firmamentum, debilium ro
bur, Animarum nutrimentum; &
Sangvinem, qui est peccatorum o
mnium pretium, lavacrum crimi
num, ablutio macularum, viatoru
refectio, fons vitæ, salus mundi
tribulatorum condimentum svavissi
mum. *Domini nostri JESU Chri*
sti, qui est verus DEUS, & veru
Homo, totus in Cælo, totus in ter
ra, totus in universo omnia com
plectens, omnia sciens, omnia pro
spiciens, & omnia disponens; *Jux*
ta

ta ritum Sacræ Romanæ Ecclesiæ, cui credo verbo & opere, semper intendo me subjicere & conformare, in qua opto firmiter vivere, & fiducialiter mori; *Ad laudem Omnipotentis DEI*, qui est, qui fuit, & qui futurus est in æternum, ab omnibus laudandus, benedicendus, & glorificandus, quærendus & cognoscendus; *Totius Curæ Triumphantis*, quæ est Mater nostra, hæreditas nostra, possessio, habitatio, felicitas & beatitudo nostra, ubi multitudo laudantium & benedicentium Deum sine intermissione. *Ad utilitatem meam* spiritualem, & corporalem salutem, ad beneplacitum Divinæ Majestatis, de cujus misericordia omnis utilitas, bonitas & ordinatio, dispositio vitæ meæ procedit; *Totiusq; Curiæ militantis*, quæ est vallis lacrymarum, miseriæ calamitatum, & militia nostra,

ubi multitudo langventium, cæcorum, surdorum, claudorum expectantium Cœlestis miserationis consolationem, vitamq; æternam; *Pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere & in speciali.* Ut habeant lumen ad agnoscendum Te, intellectum ad discernendum quidquid bonum, quidquid sanctum est, liberentur á malis præteritis præsentibus & futuris & omni tempore observent præcepta Domini. *Et pro felici statu Sacræ Romanæ Ecclesiæ.* Ut summus Pontifex, alijq; Prælati, Sancti Fij, & Justi, in suo regimine conserventur; ut hæresium tempestates penitus profligentur, & sedentur, ut Principum Christianorum concordia in perpetuum servetur.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiri-

Spiritûs, per ſeverantiam in bonis operibus tribuat nobis Omnipotens et miſericors Dominus. Amen.

Nota 2. *S. Laurentius Juſtinianus Patriarcha Venetus ex quo die factus eſt Sacerdos non omiſit Celebrare, niſi ob valetudinem. Solebat verò dicere, quod qui cùm poſſet Domino ſuo frui non frueretur, facilè ſe declarare Domini ſui curam non habere.* Surius D. Jan.

Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt, privat Sanctiſſimam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio & gratiâ, in purgatorio exiſtentes veniâ, Eccleſiam ſpeciali beneficio Chriſti, & ſeipſum medicinâ ac remedio. Venerabilis Beda. *Unus ſit dolor hac menſa privari.* Sanctus Chriſoſtomus.

Dicenti sequentem Orationem GREGORIUS XIV. concessit 50. Annorum Indulgentias.

CLementissime Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui non semel tantum Filium tuum Unigenitum in Cruce nostræ reparationi impendisti, sed ejus oblationem Tibi acceptissimam in Ecclesia tua quotidie renovari; ad ejus fructum in nobis renovandum voluisti: tribue nobis quæsumus tam admirandum hoc & tam salutare tuæ pietatis mysterium sic attentè, reverenter, & amanter celebrare, & celebrantibus interesse, ut ejus participationem quàm efficacissimè consequi valeam. Per Dominum nostrum &c:

Alia S. Dominici Patris nostri.

DOmine JESU Christe, Fili Dei vivi facere propono & intendo quod facere jussisti in die Cœ-

næ, & Sancta Mater Ecclesia unita facere intendit. Ne despexeris ergo me, propter gravissima peccata mea, sed propter infinitam misericordiam tuam dele iniquitates meas, & fac me tuum idoneum & fidelium ministrum, & suscipe hoc Sacrificium de manibus meis indignis ad laudem & gloriam totius Trinitatis, & Ecclesiæ tuæ Sanctæ; & ad profectum mei, & aliorum fidelem tàm vivorum, quàm defunctorum, pro quibus intendo orare, vel alitercunq; sim obligatus generaliter & specialiter in Nomine Sancto tuo, Amen.

ALIA.

DEUS qui de indignis dignos, de peccatoribus justos, de immundis mundos facis: munda cor & corpus meum ab omni contagione & sorde peccati, & fac me dignum Altaribûs tuis ministrum, & con-

cede propitiùs; ut in hoc Altari ad quod indignus accedo, hostias acceptas offeram pietati tuæ pro peccatis & offensionibus meis, & innumeris quotidianis excessibus, & pro omnibus hic circumstantibus, universisq; mihi familiaritate & affinitate, confessione & oratione conjunctis; atq; me odio aliquo insectantibus & adversantibus, cunctisq; Fidelibus Christianis vivis & mortuis: & per eum sit tibi meum votum atq; Sacrificium acceptabile, qui se Tibi DEO Patri obtulit in Sacrificium JESUS Christus Filius tuus Dominus noster, Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS. Per omnia sæcula sæculorum: Amen.

ALIA.

PAter Cælestis, clementissime Domine, Pater misericordiarum, suscipe hodie per manus servi tui

hoc

hoc Sacrosanctum Sacrificium, verum Corpus & Sangvinem Domini nostri JESU Christi in satisfactionem & Remissionem omnium peccatorum meorum, in salutem & fortitudinem Animæ meæ,, & totiûs domûs meæ, & omnium illorum, quibus aliqua obligatione tenor, & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Religiosorum Catholicæ Fidei: ut eis gratiam Spiritûs Sancti impertiri digneris, ad salutem Animarum suarum & regimen totius populi Christiani & omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas & ducas ad vitam salutis: in consolationem omnium tribulatorum; ut eis adjutorium & veram patientiam tribuas, in refrigerium & liberationem omnium Animarum existentium in purgatorio, & maximè illarum, quæ auxilium à me ju-

re expectant, & ad illuminationem & conversionem omnium gentium, infidelium, & hæreticorum, & schismaticorum, ut cognoscant & ament Te summam veritatem Patrem Omnipotentem. Qui cum Filio & Spiritu Sancto es laudabilis DEUS Benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad SS. Trinitatem.

O Beata TRINITAS DEUS meus, & Dominus meus, hûc Sacrificium Corporis & Sangvinis Filij tui celebraturus venio.

1. in Confessionem supremi dominij, quod habes in omnes creaturás, & subjectionis omnimodæ, quam habemus ad Te.

2. In commemorationem acerbissimæ Passionis & mortis, JESU Christi Filii tui & Domini mei, juxta illud, quod ipse præcepit nobis dicens: Hæc quotiescunq; feceritis.

ritis in mei memoriam facietis.

3. In gratiarum actionem infinitarum divitiarum Sanctissimæ humanitatis ejusdem Filij tui, & Redemptoris mei, ac singularium donorum quibus effecisti Beatam Virginem MARIAM, omnes Angelos & Sanctos, præcipuè autem N. cujus hodie solemnem memoriam facimus.

4. Item in actionem gratiarum omnium beneficiorum, quibus in hoc sæculo magnificas omnes prædestinatos, & me indignum servũ tuum afficis.

5. Hoc Sacrificium Tibi specialiter offero pro hac Persona vivente vel defuncta, aut pro hac aut illa necessitate, aut negotio pro quo celebrare teneor.

6. Itemq; secundario offero, pro remissione omnium peccatorum meorum, vel pro mortificatione

mearum passionem, vel pro elongatione intellectûs, & affectus, ab omnibus creaturis, vel pro adeptione virtutum, vel pro obtentione septem donorum Spiritûs Sancti tui, vel pro dono orationis, & thesauro perfectæ Charitatis, vel pro consequenda gloria tua Amen.

Oratio ad Deum Patrem.

O Pater potentissime; ecce accedo ad celebrandum, ad laudem & Gloriam tuam, ad gaudium omnium Angelorum & Sanctorum, ad remissionem nostrorum peccatorum, ad refrigerium Animarum Purgatorij; & ad bonum Spirituale, ac temporale totius Ecclesiæ. Supplex oro per Omnipotentiam, ad digne celebrandum, confirma me. A.

Oratio ad Deum Filium.

O Fili DEI Sapientissime, ecce venio ad celebrandum, ut Tu qui vera vita es, per gratiam vivifi-

vifices me: tu qui lux es: illumines me: Tu qui ignis es, accendas me, Tu qui quies es, tranquilles me, Tu qui puritas es, purifices me, Tu qui lætitia es, lætifices me. Supplex oro per Sapientiam tuam, ad digne celebrandum illumina me, Amen.

Oratio ad Deum Spiritum S.

O Spiritus Patris, & Filii, Sanctissime, ecce venio ad celebrandum, ut eximiâ gratiâ induas me, & ſeptem donis tuis ornes animam meam. Supplex oro per immenſam charitatem tuam, ad digne celebrandum inflamma me. Amen.

Ad Sanctos Angelos.

VOs Beatæ Mentes Angelicæ imploro & humiliter exoro, ut mihi tantam reverentiam à Domino veſtro impetrare velitis, quanta ei & in terris commoranti ſerviviſtis, & quanta nunc in Cælis obſequium vos impenditis.

Ad Omnes Sanctos.

VEstris meritis Omnium Sanctorum Spiritus, impetrare mihi dignemini, tantam devotionem, & tantam abundantiam virtutum, ad digne recipiendum Redemptorem nostrum, cum quanta in carne mortali viventes Sanctissimam Eucharistiam recipiebatis, aut Missæ Sacrificium offerebatis.

SUSPIRIUM VI.

Ad Beatam Virginem MARIAM & Sanctos.

FAc me Domine per Immaculatæ, ac semper Virginis MARIÆ intercessionem dona tua dignè suscipere.

O Dulcissima MARIA! Te deprecor & exoro, ut mihi miserrimo peccatori in hac hora, quâ pretiosissimum Filij tui Corpus & Sanguinem oblaturus & percepturus sum, assistere digneris, sicut adstiti-

ſtii eidem unigenito tuo pro nobis in Cruce morienti.

O Mæſtiſſima Parens MARIA! immerge me quæſo in immenſo marii dolorum tuorum, quodſi id minus merear, infunde ergo mihi guttulam martyrij tui; eaq; condi totam Animam, & corpus meum, operationes ac paſſiones meas; ut in omnibus dolores tuos ſentiam.

Ne me deſpicias Mater miſericordiæ, ob intolerabilem peccatorũ meorum fæditatem, neq; avertas faciem tuam à me, quem Filius tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus ſit.

Memento illius charitatis, quâ Verbum DEI ex carnem aſſumpſit, ut Tu fieres Mater noſtra. Aperi Manum tuam, & imple me benedictionibus, quibus Te DEUS benedixit in æternum, ut Te interveniente, tremenda myſteria acceptabi-

liter

liter perficere, & Sancta Sanctorum digne merear degustare.

Vos etiam invoco omnes Sancti Angeli & Electi DEI, ut mihi vestram puritatem, humilitatem, charitatem, fervorem, ac devotionem, cæterasq; virtutes in hac hora donare dignemini, ut vestris suffultus precibus & meritis, Corpus & Sangvinem Christi devote ac fructuosè suscipere valeam ad laudem ejus æternam, meamq; & proximorum salutem.

Nota. *B. V. MARIA Gereoni, nocte Christi nati, Christum Crucifixum (qui suo Sangvine, de Vulneribus manante, Calicem totum implebat) videnti, & præ reverentia Divinæ Mensæ accumbere non audenti animos addidit, cum dixit:* Tu te indignum cogitas; & quis, putas, tanta re dignus esse potest? *Ann: Cælest:*

SU-

SUSPIRIUM VII.

Ante Consecrationem.

CUm illa, Domine JESU Christe humilitate, charitate, & intentione, quam habuisti, & Sancta Catholica habet etiamnum Ecclesia, eadem in hac actione, tua Omnipotentia pronuntiabo verba: *Hoc est &c. Eodem affectu consecra & Calicem.*

SUSPIRIUM VIII.

Ad Elevationem Hostiæ & Calicis.

PRotector noster aspice DEUS, & respice in faciem Christi tui Amo Te, & adoro toto corde & affectu, lava me in Sangvine tuo, & da mihi pati pro amore tuo.

Ignis qui semper luces, amor qui semper ardes, illumina & accende me, ut citra condemnationem affistam metuendo Altari tuo. Per illam amaritudinem, quam in Cruce sustinasti, miserere Animæ meæ in egressu suo.

Nota. S. Thomas de Aquino post utramq; elevationem dicere solebat ℣. Tu Rex Gloriæ Christe. Tu Patris: & reliquos versus Cantici Te Deum laudamus usq; in finem.

SUSPIRIUM IX.

Ante Communionem.

ITa est Domine JESU Christe, non tantùm Te non sum dignus, sed indignissimus, quia sum omnibus peccatoribus & diabolis & damnatis pejor, & ex me abominabilior, indignus omni bono; dignus ob innumera peccata mea omni malo.

Innixus tamen nunquam fallenti nec falli potenti veritati tuæ, credo mi JESU Te esse in hoc Sacramento verum Deum & Hominem, in hac & pro hac fide mori sum paratus, & cum hac fide Te suscipio.

Spero mi JESU, me aliquando visurum Te in gloria tua. Amen amen Domine mi. In hac spe suscipio Te.

Amo Te mi JESU ſuper omnia, quia ſumma bonitas es, in hoc & cum hoc amore ſuſcipio Te; utinam hic cibus me transformet in Te, & lapideum pectus meum igne tui amoris accendat, & diſrumpat.

SUSPIRIUM X.

Poſt Communionem.

AVe Dulciſſime JESU, Domine meus & Deus meus, benedic quæſo in opi & calamitoſo exuli tuo, accipe me in amoris tui ſvaviſſimos amplexus, ut nullam præter Te amem pulchritudinem.

Avete venerabiles manus, pro me Cruci affixæ; avete pedes ſpecioſi, pro me clavis confixi. Ave latus pretioſum, pro me vulneratum. Ave Cor mitiſſimum JESU, meo & mei indigniſſimi peccatoris amore ſautium.

Quid retribuam Tibi o JESU pro tam immenſo beneficio! quòd me

Sanctissimo Corpore, & Sangvine tuo pavisti, quid retribuam nisi amorem! hunc enim à me requiris, & ex amore me totum.

Transforma me totum in Te. Da mihi vivere semper in Te, & Tibi jugiter adherere. Ingredere cubiculum cordis mei bone JESu, & illud possìde in sempiternum.

ORATIONES
Post Missam dicendæ.

GRatias tibi ago Domine, Pater Omnipotens æterne DEUS, qui me peccatorem indignum famulum tuum; nullis meis meritis, sed sola dignatione Misericordiæ tuæ satiare dignatus es, pretioso Corpore & Sangvine Filij tui, Domini nostri JESU Christi. Et precor ut hæc Sancta Communio, non sit mihi reatus ad pænam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis:

sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmentatio: contra insidias inimicorum tam visibilium quàm invisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium quàm Spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero DEO firma adhæsio, atq; finis mei felix consumatio. Et precor te ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi Tu cum Filio tuo & Spiritu S. Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, & jucunditas consummata, & felicitas perfecta. Per Dominum nostrum A.

ALIA.

GRatias tibi ago Domine pijssime, quod me ad Officium Sacerdotale elegisti: gratias tibi ago dulcissime DEUS, quod me dulcis-

sime

time Corpore & Sangvine tuo re-
fecisti: gratias tibi ago Clementissi-
me DEUS, pro devotione, qua me
in hac Missa specialiter respexisti:
gratias tibi ago benignissime Domi-
ne, quod me protegendo à pericu-
losis negligentiis custodisti. Ecce
Domine DEUS, pro gratissima ele-
ctione, pro dulcissima refectione,
pro tam piissima respectione & cu-
stodia, tibi Domine DEUS ex toto
corde gratias agò: te benedico, te
glorifico in æternum. Ejà oro nunc
pijssime Domine DEUS, ut sit mihi
hoc dulcissimum Sacramentum, con-
tra omnium peccatorum meorum
vulnera efficacissimum medicamen-
tum; sit mihi benignissime Domine
DEUS, hoc pretiosissimum Sacra-
mentum, gratiæ tuæ ac virtutis au-
gmentum, sit mihi pijssime DEUS,
hoc amænissimum Sacramentum con-
tra omnia pericula, tam in vita quam
in

morte validiſſimum tutamentum, q; ad æternam beatitudinem, ſo-diſſimum fulcimentum, O mi Do-e DEUS, per ſumptam quæſo E-char ſtiam, da mihi ut à peccatis mundatus, meritis fæcundatus fine ono conſumatus, tecum in perpe-uum ſim beatus. Amen.

ALIA

ADoro Te, & gratias ago Tibi, benigniſſime Domine JESU hriſte, qui me viliſſimum pecca-rem admittere dignatus es, ad lendidum vivificumq; Sacræ Men-Tuæ convivium. Heu mihi quia nis indigné complevi hoc San-iſſinum Sacrificium, miſerere mei olce mihi. Ego quod egi com-endo Divino Cordi tuo emendan-m. Suſcipe quæſo, hæc Sacroſan-a Corporis tui myſteria, quæ tibi erro ad gloriam Nominis tui ſem-ernam, ad Honorem dulciſſimæ

Geni-

Genitricis tuæ Virginis MARIÆ, in Honorem omnium Sanctorum tuorum, omniumq; Beatorum Angelorum, ad salutem meam, ad salutem N. ad salutem omnium fidelium vivorum & defunctorum. Suscipe hoc præcellentissimum Sacramentum in plenam emendationem, expiationem atq; satisfactionem pro omnibus peccatis, & negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi. Per illud instaura omnes ruinas meas Spirituales, & supple omnem inopiam meam. Per illud mortifica in me quidquid tibi displicet, & effice me hominem secundum Cor tuum. Per illud conforma Spiritum, Animam, & corpus meum, Spiritui, Animæ, & Corpori Sacræ Humanitatis Tuæ, meq; totum luce Divinitatis tuæ illustra. Per illud largire, ut in te stabiliar, Te perfectè & perseveranter diligam, intimè tibi uniar, & in

in te transmuter, ad laudem Nominis tui. Converte Domine miseros Peccatores, revoca Hereticos atq; Schismaticos, illumina infideles te ignorantes, adesto omnibus qui in tribulatione & necessitate aliqua constituti sunt. Adesto his qui se præcibus meis commendarunt, aut commendati esse cupiunt. Adesto Parentibus, propinquis, & Benefactoribus meis. Misere omnium pro quibus ego orare debeo, & Tu rogari vis. Da vivis veniam & gratiam, da Fidelibus defunctis requiem lucemq; sempiternam. Tibi laus Christe JESU, in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO.

Ad B. MARIAM Virginem.

O Serenissima & inclyta Virgo MARIA, Mater Domini nostri JESU Christi, Regina Cæli & terræ quæ eundem Creatorem omnium

um creaturarum, in tuo Sancto utero digna fuisti portare, cujus dem veracissimum Corpus & Sangvinem, ego indignus sumere præsumpsi. Rogo Te per Virginalem humilitatem tuam, & per Passionem & mortem ejusdem Filij tui, ut ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut quidquid in ejus Sacrificatione Benedicta ignoranter, negligenter, vel accidentaliter omisi tuis Sanctissimis Precibus mihi dignetur indulgere. Amen.

Oratio Divi Thomæ Aqui:

ADoro Te supplex latens Deitas, quæ sub his figuris vere latitas. Tibi se cor meum totum subjicit, quia Te contemplaes totum deficit. Visus, gustus, tactus in Te fallitur: sed auditu solo in Te ceditur. Credo quidquid dixit DEI Filius: Verbo veritatis nihil veriùs. In Cruce latebat sola Deitas,

itas, ſed hic latet ſimul & Humanitas. Ambo tamen credens atq; confitens, peto quod petivit latro pænitens. Plagas ſicut Thomas non intueor, DEUM tamen meum Te confiteor. Fac me tibi ſemper magis credere, in Te ſpem habere, & Te diligere. O memoriale mortis Domini: Panis verus, vitam præſtans homini. Præſta meæ menti de Te vivere, Teq; illi ſemper dulce ſapere. Pie Pelicane JESU Domine, me immundum munda tuo Sangvine. Cujus una ſtilla, ſalvum facere, totum mundum poſſit omni ſcelere. JESU quem velatum nunc aſpicio, quando fiet iſtud quod jam ſitio? ut Te revelata cernens facie, viſu ſim Beatus tuæ gloriæ. Amen.

ALIA

ANima Chriſti Sanctiſſima, ſanctifica me: Corpus Chriſti Sacratiſſimũ, ſalva me: Sangvis Chri-

sti pretiosissime, inebria me: Aqua Lateris Christi purissima, munda me: Sudor Vultus Christi virtuosissime, sana me: Passio Christi pijssima conforta me. O Bone JESU custodi me; intra Vulnera tua abscon de me. Ne permittas me separari à Te. Ab hoste maligno defende me, In hora mortis meæ, voca me. Jube me venire ad Te: & pone me juxta Te, ut cum Angelis, & Archangelis tuis laudem Te, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Alia S. Augustini.

DOmine JESU noverim Te, noverim me,
Nec aliquid cupiam nisi Te,
Ut oderim me & amem Te,
Omnia agam propter Te:
Humiliem me exaltem Te,
Nihil cogitem nisi Te,
Mortificem me, & vivam in Te,
Quæcunq; eveniunt, accipiā à Te,

Per-

Perſequar me ſequar Te,
Semper optem ſequi Te,
Fugiam me, confugiam ad Te,
Dignus ſim defendi à Te:
Timeam mihi timeam Te,
Simq; de electis à Te,
Diffidam mihi, fidam in Te,
Obedire velim propter Te,
In Nullo afficiar, niſi in Te,
Aſpice me, ut diligam Te,
Voca me, ut videam Te,
Et in æternum potiar Te.

SUSPIRIUM XI.

Poſt Celebrationem Miſſæ.

GRatias ago Tibi, Domine, JESU, quia me viliſſimum peccatorem admittere dignatus es, ad vivificum tuæ menſæ convivium. Ignoſce vilitati meæ, & fac me hominem ſecundum Cor tuum.

Voca me dulcis JESU, ut videam Te, & in æternum potiar Te. Tu enim es ſponſus amantibus Te, &

qui adhuc in timore Tibi serviunt metuendus Dominus.

Audi Domine JESU suspirantem ad Te ex medio laqueorum, in montibus Gelboe, ubi, ubi eheu! tot ceciderunt fortes Israel! ecce velut in angusto & lubrico stamus, & hinc subtus me Dracones & mille cuspides, infernus ipse; circa me hostes, intra me ipsa fragilitas.

Tu DEUS meus supra me, cujus judicia conturbant me, quem tot peccatis offendi longe plura commissurus, nisi ebrium in præcipiti me tenuisset misericordia tua: quod enim est peccatum, quod facit homo, quod non faceret alter homo, si Tu desis Rector, per quem factus est homo.

Et eheu! quid scio, quid serus vesper vehet! quando columnæ Cæli obstupescunt, & Stellæ de Cælo ceciderunt! Tu solus servare me à lapsu

psu potes: DEUS in adjutorium meum intende, ut puro corde & corpore Tibi ministrare possim.

O Corpus Sacratissimum quinq; vulneribus sauciatum! pone Te ut signaculum super cor meum, imprime illi charitatem tuam. Obsigna pedes meos ut sequar vestigia tua, obsigna manus, ut bona semper opera exerceam: obsigna latus, ut ferventissimos amoris tui actus proferam in æternum.

O Sangvis pretiosissime, qui omnem hominem abluis & purificas! lava Animam meam, & pone signũ in faciem meam, ut nullum præter Te amatorem admittam. O dulcedo cordis mei, & vita Animæ meæ, sicut Tu in Patre & Pater in Te est, ita ego per gratiam tuam, unus Tecum sim amore & voluntate, mihiq; mundus crucifixus sit, & ego mundo.

Commendo Tibi, tuæq; acerbissimæ Passioni & morti illos, pro quibus orare tenor, & Tu rogari vis, quique se meis precibus commendarunt, vel commendatos esse cupiunt aut expetierunt. Sangvini tuo pretioso, pro nobis effuso, commendo Animam meam, ut per illum expietur, & virtutibus illis, quæ Tibi maxime placent exornetur.

Lateri tuo aperto Ecclesiam, quæ ex illo orta est ut in illo Sanctificetur. Capiti tuo spinis compunсto, Summum Pontificem, Imperatorem, omnesq; Reges, Principes, & Antistites, tā Divinarum, quam humanarum rerum.

Manui tuæ dextræ hunc locum, & congregationem, ut hic vigeat humilitas, pax, charitas, obedientia, continentia, & pietas. Pedi dextro omnia negotia & necessitates nostras. Manui sinistræ, omnes qui

me aliquo modo vel oderunt, vel molestiâ affecerunt. Pedi sinistro, omnes miseros peccatores maximè in peccato mortali jacentes, ut respiciant, & ad dextram partem ferantur.

Flagellationi tuæ, aliisq; injuriis à Te toleratis, Ethnicos, Hereticos, & infideles, ut illuminentur, & ad veram fidem producantur. Triumphali Titulo tuo, scilicet: *Jesus Nazarenus Rex Judeorum*, parentes, consangvineos, & benefactores meos.

Cruci, Religiosos omnium ordinum, ut Crucem voluntariè recipiant, ac libenter Tecum bajulent. Angori trium horarum in Cruce, omnes qui in necessitate, ac tribulatione aliqua constituti sunt, præsertim autem, qui in mortis agone versantur. Morti tuæ deniq; omnes qui in purgatorio detinentur, ma-

xime autem NN. pro quibus celebravi, ut consolati exultent in gloria tua.

Nota: *Magnus ille spiritualis Magister Joannes Avila, cùm audisset quondam recens Sacerdotio initiatum obÿsse, petÿt ab adstante, num aliquando celebrasset? altero respondente, semel duntaxat fecisse, subjecit Avila:* Multum defert ad Judicem, *redditurus rationem, qua animi puritate, attentione, fervore, Æterno Patri incruentum Sacrificium obtulerit, &c.*

SUSPIRIUM XII.

Ad B. V. Mariam & Sanctos.

RElspice in me Gloriosissima Virgo MARIA, quia dignum objectum oculorum tuorum nunc factus sum. Loquere pro me bona dilecto Filio tuo, qui me Corpore & Sangvine suo suavissimè refecit, & offer ei merita tua, in supple-

men-

mentum imperfectionis meæ. Gratias age ei pro me, & impetra mihi, ut Sacramentali sua præsentia non discedat à me, nisi relinquat post se Animæ meæ largissimam benedictionem.

O Mater dolorum MARIA! sit mihi Cor tuum Schola compatiendi Tibi, & Filio tuo, sit mihi palæstra & exercitium patiendi pro Te, & pro Filio tuo. Fac me sapientem & eruditum in Cruce & Passione Christi, & in doloribus tuis, gladioq; Cordis tui, ut Crucifixi JESU Spiritu ebrius amoreq; saginatus, ac dignationibus ornatus, verus illius imitator & socius in terra & in Cœlo inveniar.

O scientissima miseriarum MARIA! in tuis & pro tuis acutissimis doloribus morior, & mori concupisco. Instans mortis meæ doloribus tuis, & doloribus Filij tui commen-

do, committo, communio. Animam meam, in mortis meæ articulo, in manus tuas deponere, atq; per easdem coram Filio tuo, Judice meo, præsentatam comparare volo.

Nota. *Infrascriptam Orationem Sacerdotibus post Sacrum dicentibus, Indulgentiam plenariã URBANUS VIII. concessit, quæ non est revocata per decretum INNOCENTII XI.*

Ave Filia DEI Patris.
Ave Mater DEI Filij.
Ave Sponsa Spiritus Sancti.
Ave Templum totius Sanctissimæ Trinitatis.

Pater noster. Ave Maria. &c:

BOnè pulcherrime Domine, dulcis meus Salvator miserere mei, & omnium Animarum, tàm vivorum q àm defunctorum, quas redemisti Sangvine tuo pretioso.

Vos etiam omnes Beatorum Spirituum Ordines, Angeli, Archange-

li, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes Cœlorum, Cherubim, & Seraphim, Sanctiq; DEI omnes, ego exul & Orphanus humiliter imploro, ut in conspectu Throni ejus voce unanimi Hymnum & laudem gloriæ ejus decantetis; collaudantes vivificæ Deitatis dignationem, quæ me indignum in perceptione Sacrosancti Corporis & Sangvinis Domini nostri JESU Christi dignata est respicere.

Nota; *Petrus Blesensis ser. 41. in Symbrachiorum apertorum, atq; in Sacrificio Missæ extensorum; hanc rationem assignat:* Expansis manib9, tanquam Crucifixo adstat. *Sacrilegus autem Sacerdos iterum in patibulo extendit, iterum Christum crucifigens.*

SACERDOS

Indignè celebrans, renovat Passionem Christi.

Rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium DEI. Hebr: 6.

JUdas Christum osculo Judæis tradidit, ita & malus Sacerdos: *Dic Sacerdos, dic Clerice, qualiter eisdê labijs Filium DEI oscularis, quibus osculatus es labia meretricis & cum Juda osculo Filium hominis tradis:* inquit S. Hieronymus. Et S. Gregorius Mag: *Qui Corpus Christi indignè conficit, Christum tradit.*

Judæi Christum projecerunt in lutum, sic & malus Sacerdos: *Non enim minùs est detestabile, in os pollutum, quàm in lutum mittere DEI Filium,* ait D. Augustinus.

Judæi conculcârunt Christum, idem facit malus Sacerdos: *Christum ille conculcat, qui de eo indignè participat,* inquit S. Ambrosius.

Judæi conspuerunt faciem Christi, ita spuit & Sacerdos indignè communicans, *Quicunq; ad Altare Domi-*

Domini accedit inquinatus luxuriâ, juxta Filium Virginis, idolum ponit Veneris; qui sacra illius verba Sacramenti, ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit, & cùm in os immundum Sanctissimam carnem imponit, eam quasi in lutum platearum projicit, ait Petrus Blesensis.

JESUS veridicus impudenter in facie cæsus est, ita cædit & malus Sacerdos: *Indignus Sacerdos ut est concubinarius, Simoniacus &c: quot verba in Canone recitat; toties in faciem Salvatoris spuit, dùm illum levat, tunc impio pugno verberat, dùm dividit, crucifigit, dùm verô sumit, in cloacam immundissimi & indignissimi corporis sui projicit.* S. Aug:

Christus Dominus, quatuor vicibus fuit illusus à Judæis teste Jacobo de Vorag: ser: 1. Quinquages. His quatuor modis, (inquit ille) Sacerdotes mali videntur Christo illudere.

dere; 1mò. Cum Caipha per amictum capitis, cùm ipsum assumunt, quod designat spem Cœlestium, ipsi autem non serviunt in Eccesia pro Cœlesti retributione, sed pro terrena cupiditate. 2dò. Sibi illudunt in veste alba cum Herode, cùm ipsam induunt, quæ significat munditiam, ipsi autem non sunt mundi, sed & corpore impuri. 3tiò. In purpura cum militibus, cùm induunt casulam purpuream, quæ significat latitudinem, & fervorem charitatis: Ipsi autem non habent vestem purpuream charitatis, sed sangvinolentam rancoris: 4tò. Cum Judæis in Cruce, qui ejus verba perverterunt, & fidem deridebant. Ipsi verba DEI contemnunt, cùm stolam, quæ significat gladium, id est, verbum Dei, indignè assumunt, & scutum fidei, quæ significatur per manipulum despiciunt. Hinc S. Augustinus ait: Malem sustinere pœnam Caiphæ, Herodis & Pilati,

Pilati, quàm pœnam Sacerdotis indignè celebrantis.

Judæi Christum crudelissimè flagellàrunt, sic & malus Sacerdos. *S. Victerpus Episcopus ostendit D. Herculœ Christum,* Ecce Homo! *illi expallescenti, JESU carnificem, cujusdam Sacerdotis impuritatem, esse dixit, præcepitq́; ut impurus à Sacris abstineret.* Fasti Marian: 8. April:

Judæi Coronam spineam Christi Capiti imposuerunt; & malus Sacerdos non cessat ambitiosis, vanis, avaris, vindictæ cupidis, impuris, impijs cogitationibus, spinis sanè longè gravissimis Salvatorem coronare, ejusq́; dolores acerbiùs renovare. *Pudeat ò Sacerdos sub spinoso, capite, membrum esse delicatum!* ait S. Bernardus. *Qui ideo spinis redimitus, ut nobis Regni Diadema compararet.* D. Hieronymo teste.

Judæi Cruci affixerunt JESUM, idem

idem facit Sacerdos indignè celebrans S. Remigius sup: illud Christi verbum Matt: 26. Væ illi, per quē Filius hominis tradetur inquit: *Væ tradentibus Christum ad crucifigendum, sed væ cum maligna conscientia, sub Sacramento sumentibus illum. Nam & si non tradant Judæis ad crucifigendum, tradunt tamen inimicis membris ad sumendum.* Et S. Ambrosius: *Qui indigne Christum sumit, idem acsi interficiat.*

Judæi Christo acetum & fel potandum porrexerunt; at verò Blesensis ait: *Damnabiliter peccat, qui ad Corpus ejus cum felle conscientiæ pravæ, & cum aceto iniquitatis accedit;* Ubi quoq; sententiam allegat S. Hieronymi dicentis: *Perfidus Judæus, perfidus Christianus, ille de latere, iste de Calice Sangvinem Christi fundit.*

Hinc S, Chrisostomus Homil: 45: in

in Joan: Non secus puniendos indignè sumentes, quam crucifixores graviter asseverat: *Si qui Regiam purpuram coinquinant, haud secus, quàm qui scindunt, puniuntur: quid mirum, si qui immundâ conscientiâ, Christi Corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod, qui eum clavis affixerunt.* Imò majoribus pœnis digni sunt, quia non solùm æquale; sed multis nominibus gravius peccatum committit, qui indignè hoc Sacramentum sumit, teste, *Fornero Tom: 1. Conc: 55.* Illi enim (Judæi) Christum ex parte ignorabant esse Deum: Tu Deum tuum Salvatorem esse ais. Illi injurias intulerunt Christo mortali: Tu eidem jam immortali. Judæi tradiderunt Christum Gentilibus & carnificibus: Tu tradis eum dæmonibus, per peccatum in Corde tuo habitantibus. Illi permiserunt eum in sepulchro novo

&

& mundo collocari: Tu enim in fœtidissima corporis tui cloaca: illi permiserunt eum in sepulchro usq; ad tertiam diem requiescere: Tu eum citò pellis, quàm primùm suscepisti. Illi adhuc Christi morte redempti non erant? Tu jam redemptus & salvificatus. Illi semel malè tractaverunt Christum: Tu quotidie peccatis tuis eum denuò crucifigis. Judas citò pœnituit, & malè accepta restituit dicens: *Peccavi, tradens Sangvinem justum.* Tu verò per annum, vix semel perfectè doles, vix unquam restituis, quod possides injustè. Illi in Cruce affixerunt: Tu in sterquillinio Corporis tui voluntariè obruis & deturpas. Collige ex his, an non pejor sis ipso Judâ & Judæis? unde vere Tertulianus exclamat: *Proh scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt, o manus*

nus

nus præcidendæ! &c: Altius hic exclamandum in sacrilegos Sacerdotes, qui manus ad illicita extendunt: o manus præcidend-! qui oculos in speciem mulierum conijciunt; o oculi eruendi! qui sermones lascivos effutiunt: o linguam evellendam! quæ cogitationes & prava desideria corde fovet: o cor configendum! *necesse quidem ut veniant scandala, sed væ illi, per quem scandalum venit.*

Malis Clericis (juxta D. Bernar.) *dicturus est Dominus in Novissimo die Judicij justi: illud quod acquisivi Sangvine proprio; vos consumpsistis in apparatu regio, quod acquisivi sputis & flagellis; vos consumpsistis in theatrum & scutellis, quod acquisivi Coronam spineam portando, vos consumpsistis plumaria mollia Capite supponendo, quod acquisivi fel & acetū potando; vos consumpsistis vino & nectare inebriando, quod acquisivi mani*

nibus Crucifixis; vos consumpsistis cum aleis & taxillis. Videte, (subdit D. Bonaven:) *quanta à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum, & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis, ite maledicti in ignem æternum. O grave pondus* (exclamat S. Bernardus.) *o grave periculum honoris Sacerdotalis, nisi Sanctis mysteriis illustratur dignitas unctionis; nobilitate morum & exercitatione virtutum! Væ vobis Sacerdotibus, qui jacetis in gremio veneris & in Altari Sacrificatis Filium Virginis. Centum si placet demus annos* (inquit S. Chrysost. L. de re-repar. lapsi.) *deliciis carnis & mundi delectationibus, addas & decies centum, quæ erit ex his ad æternitatem compensatio? nunquid non omne tempus hujus vitæ quasi noctis somnium ad æternitatis comparationem esse videtur? est igitur aliquis*

ita

ita demens, qui ut una nocte videat somnium delectabile: velit & eligat subire pœnas æternas? O quam parva est concubitus hora, (exclamat S. Augustinus L. de *Conflic: vit:*) *quâ perditur vita futura; quod autem emolumentum affert, id, quod tàm citò perducit ad Tartara?*

Obstupesco ego, quando considero, quod S. Hieronymus in Epistola de se fatetur: *Cùm iratus fuero, aut me nocturnum phantasma deluserit; Basilicas Martyrum, intrare non audeo, in animo & corpore contremisco.* Si sola indignatio quædam, si sola libidinis imago, per somnium repræsentata, Sanctum Virum arcebat, ab ingressu Templi, o Bone DEUS, quid de illis fiet, qui toto anno in volutabro luxuriæ jacentes, nec etiam si confiteantur, peccata vetera, eorumq; proximas occasiones, deserere cupientes, ita tamen auda-

ctèr ad Altare DEI accedunt, seseq; sacræ ingerunt communioni? o quantũ & quàm atrox est crimen, quàm graviter, si non in hac, certè in altera vita, punientur!

S. Theresia Venerabile Corpus Christi sumptura, perspicuè vidit aliquos diabolos figuris expavescendos, quorum cornua ut annuli fortissimi circumplectebantur miseri guttur Sacerdotis, dixitq; intellexisse se Animam ejus peccato mortali fuisse inquinatam. *Lanuza ex vita ejus.*

Narrat Palladius, *in vita S. Macarÿ Alexandr:* de quodam Sacerdote, cui ob temerariam præsumptionem, quâ ausus fuit celebrare Missam in fornicationis delicto, cancer totam faciem consumpserat, nec Macarius eum sanare volebat, nisi Altaris ministerio priùs ejurato.

S. Gregorius Turonens: *de Glor: Mar:*

Mar: C. 87 *scribit*, de Epachio Presbytero, qui tota nocte potitans, nihilominus celebrare præsumens; Sacrâ Hostiâ indignè sumptâ morbo comitiali arreptus in terram cadens, & instar equi hinniens, Sacram Eucharistiam evomuit, & à diabolo strangulatus interiit.

Notent hoc Sacerdotes illi, qui totos dies, imò & noctes usq; ad lucē matutinam potitantes, ludentes, tripudiantes, manè ut lucrentur aliquã pecuniolam, stant indigni, imparati, semiebrij ad Altare, & Sacrilegis manibus Sacra tractare non verentur.

Refert Cantipratanus *L. 2. Ap. C.* 40. de Sacerdote immundo, & tamen quotidie indigne celebrante, qui in vindictam os circa nasum & mentum, & lingva computruit; ita ut vix posset præfætore ab amicissimis sustineri. Et de alio in Gallia, se puerum audisse testatur, cujus ma-

nus

nus ſuper aram exterſæ igne Gæleſti, uſq; ad cubitos combuſtæ & conſumptæ fuerunt.

Alteri cuidã ſæpiùs indignè communicanti, ſine voluntate á peccatis veteribus recedendi, dæmon paulô ante mortem, cum igneis Hoſtijs in ardenti patena apparuit dicens: *Quia frequenter indigne communicaſti, hodie de manu mea infernalem communionem accipies.* Renitente illo, ac horrendiſſimè clamante: dæmon hoſtiam unam ſuper manum ejus jactavit, quæ terribili ardore ſuo, in momento, candentis inſtar ferri, manum perforavit *Joan: de Pron: in ſum: Euchar. art: 11*

Petrus Pipernus, qui Sacrâ purpurâ mores tegebat non Angelicos ſed impuros, dum in Templo Chriſti Corpus adoraret in omnium conſpectu à dæmone interfectus fuit. *Creſſolius Myſtagog: L 3. C. 24 p. 602*

Ecce

Ecce quid indigna Celebratio & Communio operetur etiam teste Sancto Paulo: *Accelerat mortem, & frequenter subitaneam & improvisam abbreviat vitam, immittit morbos, pestem & similes contagionoes, spoliat vità æternâ, damnat in perpetuos ignes gehennæ, cùm major ista non possit Christo Domino injuria fieri.* Ergo sit Tibi cordi Sacram Synaxim, dignè suscipere, ut redemptionis Christum fructum, tàm in hac, quàm in altera vita possidere merearis; ut Tibi sit vita, semper SALIGIA VITA.

Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis: non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autẽ ut rebrobi simus. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 2. Cor: 13.

Ignis Divini Officij.

UT in Divino Officio non solùm igneæ Divini amoris cogitatio-

nes, sed & caro nostra exultet in Deum Vivum, rogandus est Spiritus Sanctus, ut cor & labia nostra aperiat, *& Ignem sui amoris in cordibus nostris accendat.* Prout accendebat, quos vidit S. Mechtildis, quod è cordidus singulorum, qui Psalmorū verba in Horis Canonicis devote & intentè pronuntiabant, vibratus quidam lucis radius iverit in Cor Dei. *L. 1. Grat: Spir: C. 12.* Ajunt P. Ludovicum de Fonte Divino Officio recitando intentum, conspectum illustrem, imminente Capiti ejus aureo lucis globo. *Cachupin vitæ lib: 2. C. 12* S. Franciscus Xauerius ad pietatem vehementius accendendam Hymnum *Veni Creator &c:* ante singulas Horas semper pronuntiabat, tanto ardore, ut ei cor è pectore exilire, animumq; deficere videretur. *Turssellin. vitæ ejus Lib: 6. C. 5.* Verùm & memoria JESU Crucifixi est

est adjumentum & insignis ad animum in Oratione colligendum accédendumq; industria. Ita S. Gertrudis, in Invitatorio, quod quinq; constat versibus, ad singula vulnera Domini JESU Christi svaviter deosculanda solebat mente accedere, & Sangvine indefluente, in Spiritu se aspergere; finienq; in vulnere lateris & ejus corde, ibi remissionē & supletionem defectuum petebat, ac novam gratiam ad Officium rectè inchoandum & persolvendum: B. Clara de monte Falco, pro quavis Hora Canonica assignaverat aliquod Mysterium Dominicæ Passionis considerandum, quo pietatis Officio illud consecuta est, ut omnia patientis Christi insignia & instrumenta à morte in corde ejus Divina Coelatura expressa reliquerit. *P. Lansic: Opusc: 7. C. 13.* Laudat Gretserus *de disciplina l. 1. C. 8.* Petrum Car-

 dina-

dinalem Damiani de S. Dominico Loricato aliisq́, Sanctis, qui quotidie per omnes Horas Canonicas se disciplinâ, seu scopis cædebant in memoriam Christi flagellati. P. Petrus Claverus S. J. oraturus in cubiculo, se Coronâ spineâ coronabat, ad singula Divini Officij verba impensè attentus. S. Ignatius cùm Horas Canonicas recitabat, adeò totus in lacrymas liquescebat, ut propemodum cæcus fieret: *vitæ ejus C. 31.* S. Carolus Boromæus solebat flexis genibus totum Officium Divinum recitare, idq; propter reverentiam illius quem alloquebatur. Quocirca fructuosum & DEO pergratum exercitium est, illis horis volvere ista, & aspicere in JESUM pro peccatis nostris ligatum, illusum, & consputatum, flagellatum, & coronatum, in Cruce acerba elevatum, vulnere amoris circa cor transfixum,

cum

cùm luctu tandem depositum, & cum mærore tumulatum; tùm ad singulas Horas Canonicas breviter vel voce, vel mente, hoc vel simili modo suspirare.

Sequentes Orationes in fine Horarum devotè dicentibus BENEDICTUS PAPA XII. *duodecē millia dierum, & omnium negligentiarum ex distractione non voluntaria in Divinis Officiis commissarum, Indulgentiam concessit.*

POST MATUTINUM.

PAtris Sapientia, Veritas Divina,
Deus Homo captus est hora matutina,
A suis Discipulis citò derelictus,
Judæis est traditus, venditus, afflictus:
Ita Pater quia sic placitum est ante Te, ut patiar pro illis, fiat.

O amor ſalutis humanæ; Benedictus Deus & Pater, immenſæ miſericordiæ in ſæcula, Amen.

Et ſimiliter ad ſingulas Horas.

℣. Proprio Filio non pepercit DEUS,

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

ORATIO.

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui hora matutina pro nobis peccatoribus poſt effuſionem ſangvinei ſudoris, tradi, capi, trahi & ligari alapis cædi & conſpui voluiſti, & cum gloria reſurrexiſti, fac nos quæſumus contumelias & opprobria pro Tui Nominis gloria lætanter ſuſcipere, & ſic Tuæ Sacratiſſimæ Paſſionis memoriam recordari, ut ad piæ reſurrectionis gaudia feliciter pervenire mereamur, Qui vivis &c.

POST PRIMAM.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum,
Falſis teſtimoniis multum accuſatum.
In collum percutiunt, manibus ligatum,
Vultum Dei conſpuunt lumen Cœli gratum.
Ita Pater, quia ſic placitum eſt ante Te, ut patiar pro illis, fiat.
O amor ſalutis humanæ? &c.

℣. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, (ſibi.
℟. Et mentita, eſt iniquitas

ORATIO.

DOmine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi qui prima hora diei pro nobis peccatoribus contumelioſe, inſtar latronis impio Judici Pilato es præſentatus, & ſævientium contra Te crudeliſſimas voces, tanquam Agnus manſvetus

patientiſſimè tolleraſti; da nobis pro Tui Nominis gloria, ut cum aſtiterimus Tuo terrifico Tribunali, non damnemur æterno ſupplicio, ſed cum Tuis fidelib9 in Cœleſtib9 conſolatori mereamur. Qui vivis & regnas in ſecula, A.

POST TERTIAM.

CRucifige clamitant hora tertiarum,
Illuſus induitur veſte Purpurarũ.
Caput ejus pungitur Coronâ ſpinarum, (pænarum.
Crucem portat humeris ad locũ
Ita Pater, quia ſic placitum eſt ante Te, ut patiar pro illis, fiat.
O amor ſalutis humanæ: &c:

℣. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, (ſibi.
℟. Prolongaverunt iniquitatẽ

ORATIO.

DOmine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui horâ diei tertiâ flagel-

gellis cæsus & spinis coronatus fuisti, & ad Crucis tormenta pro mundi salute, Crucem tuam sacris humeris portando ductus es: te suppliciter exoramus, ut per virtutem tuæ Sacratissimæ Passionis, omnia peccata nostra deleas, & ad tuæ beatitudinis gloriam sempiternam, nos misericorditer perducas. Qui vivis &c.

POST SEXTAM.

HOrâ 6tâ Jesus est Cruci conclavatus;
Et est cum latronibus pendens reputatus: (tus.
Præ tormentis sitiens, felle saturà-
Agn9 crimē diluens sic ludificat9.
Ita Pater, quià sic placitum est ante Te, ut patiar pro illis, fiat,
O amor salutis humanæ &c:

℣. Foderunt manus meas & pedes meos, (mea.
℟. Dinumeraverunt omnia ossa

ORATIO.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ad exprimendum ad te revertentibus tuæ benignitatis affectum, horâ 6tâ, tua Sanctissima brachia in Crucis patibulo extendisti; & in Sacratissimo Corpore tuo, pro nostris sanandis vulneribus quinq; pertulisti vulnera, nostramq; salutem sitiens, felle & aceto potari te permisisti, da nobis ita in Sangvine tuo proficere, & amore tuo fervere, ut tuis mereamur amplexibus æternaliter inhærere, Qui vivis &c:

POST NONAM.

HOrâ nonâ Dominus Jesus expiravit,
Heli clamans, Animã Patri commendavit.
Latus ejus lanceâ miles perforavit,
Terra tunc contremuit, & sol obscuravit.

Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut patiar pro Illis fiat: O amor salutis humanæ! &c:

℣. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum,

℟. Redemisti nos Domine Deus veritatis.

ORATIO.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui horâ diei nonâ, expansis in Cruce manibus, & inclinato Capite clamans & lachrymans; Deo Patri Spiritum tradidisti & in dulcissimi Lateris tui apertione, in pretium nostræ redemptionis Sangvinem tuum fudisti, Latronemq; sero penitentem in Paradisum suscepisti, da nobis indignis famulis tuis in hora mortis nostræ, animas nostras ad Te, qui vere Paradisus es, misericorditer pervenire. Qui vivis, &c:

POST VESPERAS.

DE Cruce deponitur, horâ Ve-
spertinâ, (na.
Fortitudo latuit in mente Divi-
Talem mortem subiit vitæ Me-
dicina,
Heu Corona gloriæ jacuit supina.
Ita Pater, quia sic placitum est
ante te, ut patiar pro illis fiat.
O amor salutis humanæ &c:
℣. Christus factus est pro no-
bis obediens usq; ad mortem,
℟. Mortem autem Crucis.

ORATIO.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, æternæ beatitudinis Conditor, qui horâ Vespertinâ de Cruce in tuæ Matris sinum depositus, conditus es aromatibus concede propitius, ut depositis nostrorum peccatorum sarcinis, ante conspectum Divinæ Majestatis tuæ præsentari inter San-

ctos & Electos tuos tecum æternaliter gaudeamus. Qui vivis &c:

POST COMPLETORIUM.

HOrâ Completorij datur Sepulturæ.

Corpus Christi Nobile, spes vitæ futuræ:

Conditur aromate: complentur scripturæ. (curæ.

Jugi sit memoriæ, mors hæc mihi

Ita Pater, quia sic placitum est ante te, ut patiar pro illis, fiat.

O amor salutis humanæ! &c:

℣. In pace factus est locus ejus,

℟. Et in Sion habitatio ejus:

ORATIO.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui horâ Completorij sepultus es, & à Matre tua mæstissima & ab aliis mulieribꝰ planctus & lamentatus fuisti, fac nos Domine gementes & lamentantes, tuam devòtissimè plangere passi-

passionem cujus nos memoriam recolentes, de exilio ad Patriam, de labore ad requiem, de mærore ad altissimæ tuæ visionis consolationem pervenire concede. Qui vivis &c:

COMMMENDATIO.

HAs Horas Canonicas cum devotione,
Tibi Christe recolo, pia ratione:
Ut qui pro me passus es amoris ardore, (gone.
Sis mihi solatium, mortis in a-

Suspirium.

HEu! Domine mi! quando pura, simplici & læta mente Te colam: quando quietâ, stabili, & serena conscientiâ Tibi serviam! quando ab immensitate amoris Tui absorbebitur cor meum! quid volo præter Te, aut quid omnia mihi prodesse possunt sine Te; Tu solus sufficis Animæ meæ.

meæ. O Deus meus & omnia.

O R A T I O.

Pro Supplemento negligentiæ in horarum recitatione; post expletum Officium dicenda.

O Bone Jesu propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum & distractum officium, commendo mellifluo Cordi Tuo emendandum & perficiendum, in satisfactionem efficacissimam, Divinæ tuæ Justitiæ, Tibiq; offero in salutem omnium tam vivorum, quam defunctorũ, in unione meritorum Ecclesiæ Militantis, & triumphantis in unione illius perfectissimæ attentionis tuæ; qua Patrem orasti, & laudasti in terris, responde quæso, satisfac, & supple pro me plenissimè.

Salutiferum documentum de Medit: Pas: D. N. I. C. B. Alberti Mag: Ep: Ratis:

SI desideras perfecte mundari à

vitiis, si notabiliter ditari in virtutibus, si altissime illustrari in scripturis, si gloriose triumphare de inimicis, si copiose consolari in adversis, si devote versari in terris, si frequenter compungi in cubilibus, si dulciter flere in orationib9, si ferventer accendi in orationib9, si perseverare in bonis actib9, si repleri spiritualibus gaudiis, si rapi in excessũ mentis, si Divinis frui secretis, si feliciter mori in extremis, si perenniter regnare in Cælis.

Exerce te in Vita & Passione Domini nostri Jesu Christi Filii Dei, quem Pater misit in mundum ut omnib9 præberet perfectionis Exemplum & sequaces suos ad æternũ perduceret regnũ.

Ama igitur Christum, sequere Jesum complectere Crucifixum, memor sis quam diu fueris, labo-

rum

rum & dolorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo tentationum, in jejunando, vigilarum, in orando lachrymarum in compatiendo.

Recordare etiam dolorum ejus, conviciorum, colaphorum subsanantionum ex probrationum clavorum horumq; similium.

Sive ut B. Mechtildis à Christo edocta, post singulas Horas, vel saltem septies de die quando libuerit suspiria: DEUS propitius esto mihi peccatori! *Seu* Agne DEI benignissime & mansvetissime miserere mei: & per Temetipsum supple, quidquid in hac Hora neglexi.

Valent etiam ad animum colligendum & indulgentias impetrandas, eaquæ in Diurno Romano ante, & post Officium dicuntur: *Aperi Domine &c: Sacrosanctæ & individuæ Trinitati &c:*

Glo-

Gloria Patri &c: *cum magna semper reverentia dicere assuescas; refert enim Honor Solit: sup Psal: Quod quidam Religiosus, qui Horas suas negligenter dicere consueverat, post mortem alteri cuipiam apparuerit: & interrogatus, quidnam ob præfatam negligentiam secum actum esset? responderit: Hanc se recuperasse per* Gloria Patri &c: *quod magnæ semper reverentia dicere solitus fuisset.*

Quem Cultum Sanctissima DEI Mater comprobavit: nam vir Sanctitate conspicuus, aliis in Ecclesia psallentibus, vidit Beatissimam Virginem toties se profundè inclinantem, quoties versiculus iste, *Gloria Patri &c:* caneretur. Causam verò sciscitanti, respondit Deipara: *quotiescunque Hymnus ille in laudem SS. Trinitatis in Ecclesia decantatur, totam curiam Cælestem, Eidem Gloriosissimæ Triadi se inclinare. Radcius Aula S. Theodosij C. 42.*

Quantùm verò DEO displiceat in Horis Canonicis negligentia, præceps quædam celeritas, absq; ulla ferè significatione reverentiæ, patet è vita S. Ludgardis, ubi Divinitùs innotuit, pestem, fuisse pœnam culpæ istius, unde quamprimum Horæ Canonicæ cum reverentia sunt recitatæ; pestis cessavit *Surius* 16. *Jun*: Nota est illa Imago Crucifixi, quæ de Cruce descendens, Monacho in Choro dormienti alapam infregit, è qua triduo post obdormivit in mortem. *Gabat*: *de Sacro num*: 284. Nota est illa Christi effigies in Oxoniensi Monasterio. quæ super Chori ostium pendebat, verso ad Monachos vultu, indignationem & subsanantionem erga ridentes inter Divinas Laudes, & parum decenter se gerentes; indicavit, quam & illi senserunt: nam ex tremendo fragore, & terrifico Christi vultu, eorum præ-

cipui

cipui adeo percul? sunt, ut paucis post diebus è vita excesserint. *Annal: Minor*: *a*. 1220. Notum est S. Severini Colon: Archiepiscopi purgatorium ob coacervata intempestivè Horarũ Officia. *B. Petrus Card: Damian*: *Ep*: 15. Valer. Venetus, *in Prat*: *Italic*: *C*. 21. scribit de Religioso tepido vidente in Choro dæmonem, qui pice liquata & alijs fædis liquoribus, potabat negligentes, tepidos, somnolentos. Picem verò ac sordes illas, eis in os cochleari ferreo & igneo ingerebat: ut vel sic tùm illos, tùm eum qui videbat accenderet (licet invitus) ad concipiendum ignem amoris Divini, in Divino Officio. Meminit & alterius tepidam Religiosi dormitantis Orationem, DEI jussu à dæmone tùm verbis acerrimis, tùm fune ac verberibus castigatam. Mancinus *L*. 10 *disert*: 1, *de Passione Christi* ait Religi-

ligiosum Sacerdotem visum in veru ad lentum ignem terreri, vim cruciatuum suggerentibus fumiferis flammis è pagellis Libri, Breviarij, succensis, putavit is, qui hæc vidit, ea ostendi emendandæ præproperæ cuidam in recitandis horarijs precibus celeritatis. Quare cum dolore profundo & alta spe flagitanda est venia, de tot bonis Horis Canonicis tàm male collocatis, hoc est, recitatis. Quid nobis timendum non est; si S. Anno Colonien: Archiep. à Christo castigatus est, ob non punitum Diaconum, qui cum eo Horas *Gloria Patri & Spiritu Sancto, dixit. Filio præcipiti* lingva omisso? *teste Nebridio Ep: 71.* B. Petrus Damiani de Religioso commemorat, eum ob neglectam ad *Gloria Patri &c:* reverentiam, post mortē, altissimæ columnæ è mari assurgenti colligatum, ibiq; diebus singulis centies & totidem vi-

cibus

cibus nocte quavis, profundissimè se inclinare coactum, donec supplesset, fecissetq; satis omnibus reverentiis omissis, aut neglectim exhabitis. Quo in tormento tanto se horrore concuti solitum affirmabat, ut in maris profundum se præcipitem agi, nec gravius supplicium apud inferos reperiri crederet. Cæterum se hic hæsurum usq; ad extremum judicij diem, nisi precibus aliorum liberetur.

Monachus quidam post mortem consodalium uni apparuit, & ingentes purgatorij cruciatus, sese pati significavit, causam addens, supinam dùm in vivis ageret, negligentiam suam, in recitandis, Ecclesiæ consvetis precibus, pro defunctis, eamq. ob causam, Sacrificiorum pro se celebratorum, fructu in pœnam socordiæ, omnino destitui, ita ut alijs sese dignitoribus applicetur.

Chro-

Chronicen. S. Francisci L. 9. C. 22. Jacobus Cardinalis Vitriacensis ait, cupiam visum cacodæmonem ingentem sarcinam omissarum in Horis Canonicis syllabarum in humeris portasse in futurum DEI Judicium: *Historic: Occid: C. 34.* Quid ergo faciemus, cùm venerit ad judicandum DEUS? ah DEUS orationis Magister unice! donum fac omissionis ante diem rationis, & doce nos ita orare, ut à Te impetremus Spiritum orationis. *Nam (ut ait Thomas à Kempis de disciplin: claustr: C. 8.) pro quolibet verbo, attentè prolato, justo præmio non privaberis. Quidquid etiam negligenter persolveris; inde districtè punieris.* Si verò aliquis anxius animi scrupulis agitatur, de mente minus attenta in recitatione Horarum Canonicarum, conetur ita semper ad orandum accedere ut Deum velit adora-

durare; Ecclesiæ præcepto satisfacere; necessaria, & utilia ad salutem impetrare. nam ut docet S. Thomas 22. *q. 83. a. 13. Etiam Sancti viri orando quandoq; evagationem mentis patiuntur.* Deinde: *Ad effectum meriti, non ex necessitate requiritur, quod attentio adsit Orationi per totum; sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam Orationem meritoriam* Etiam ad impetrationem ait sufficere primam illam intentionem. *Si autem* inquit: *prima intentio desit; Oratio nec meritoria est, nec impetrativa.* Recte dictum est à Poeta? *Dimiduum facti qui benè cæpit habet*; in singulis enim actionibus id imprimis curandum est, ut benè ordiamur. Nam ut ibidem docet S. Thomas: *In Spiritu & veritate orat, qui ex instinctu Spiritûs ad orandum accedit: etiamsi ex aliqua infirmita*

te

te mens poſtmodum evagetur. Quia ſi DEUS imputaret nobis negligentias temporis quo oramus, & captivitates quas patimur dùm pſallimus, non poſſemus ſalvi fieri; *Dixit Abbas Theodorus L. 5. de vitis PP. libello 11.*

Ignis ergò devotionis in prævia meditatione & intentione exardeſcat, qui fœnum & ſtipulam diſtrahentium cogitationum comburat, & ſic fiet totius Officij recitatio, Sacrificium acceptabile Domino in odorem ſuavitatis, quia nihil in Eccleſia, poſt uſum Sacramentorum, DEO gratiûs eſt, recitatione Horarum Canonicarum. *Ut revelatum fuit Gratiano Capucino pie Novitio, teſte Nebridio Canonico Regulari S. Auguſtini Epiſt: 64.*

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

IN VESPERIS.

Sine Pater noster, absolute incipitur.

DIlexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem, & dolorem inveni: & Nomen Domini invocavi.

O Domine, libera Animam meam: misericors Dominus, & justus, & DEUS noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.

Convertere Anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit Animam meam de mor-

[m]orte: oculos meos á lacrymis, pe[d]es meos à lapsu.

Placebo Domino: in regione vivorum.

Requiem æternam dona eis Do[mi]ne: & lux perpetua luceat eis.

Anttiph: Placebo Domino in re[g]ione vivorum.

Psalmus 119.

AD Dominum, cùm tribularer, clamavi: & exaudivit me.

Domine libera Animam meam à [la]biis iniquis, & à lingva dolosa.

Quid detur tibi, aut quid appo[na]tur tibi: ad lingvam dolosam.

Sagittæ potentis acutæ, cum car[bo]nibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus [pr]olongatus est: habitavi cum habi[ta]ntibus Cedar: multùm incola fuit [an]ima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, e-

ram pacificus: cùm loquebar illi impugnabant me gratis.

Requiem æternam, &c:

Ant: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Psalmus 120.

LEvavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum, & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neq; dormiet; qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

Per diem Sol non uret Te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat Animam tuam Dñus.

Dominus custodiat introitum tuum,

um, & exitum tuum, ex hoc nunc & usq; in sæculum.

Reqviem æternam &c:

Ant: Dominus custodit te ab omni malo: custodiat Animam tuam Dominus.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad Te Domine: Dñe exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine, qui sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui Te, Domine.

Sustinuit Anima mea in verbo ejus: speravit Anima mea in Domino.

A custodia matutina usq; ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam &c:

Ant: Si iniquitates obſervaveris Domine: Dñe, quis ſuſtinebit?

Pſalmus 137.

CONfitebor Tibi Domine in toto corde meo; quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu Angelorum pſallam Tibi, adorabo ad Templum Sanctum tuum, & confitebor Nomini tuo.

Super miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne Nomen Sanctum tuum.

In quacunq; die invocavero Te, exaudi me: multiplicabis in Anima mea virtutem.

Confiteantur Tibi Domine omnes Reges Terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: quoniam

niam magna eſt gloria Domini.

Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum: opera manuum tuarum ne deſpicias.

Requiem æternam, &c:

Ant: Opera manuum tuarum Domine ne deſpicias.

Canticum B. Mariæ. Luc: 1.

MAgnificat: Anima mea Dñum: Et exultavit Spiritus meus: in DEO ſalutari meo.

Quia reſpexit himilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui po-

tens eſt: & Sanctum Nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

Requiem æternam &c:

Ant: Audivi vocem de Cælo dicentem mihi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Pater noſter.*

Pſalmus 145.

LAuda Anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: pſallam DEO meo, quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus:

in

in filiis hominium, in quibus non eſt ſalus.

Exibit Spiritus ejus, & revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus cujus DEUS Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius: qui fecit Cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.

Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit judicium injuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus.

Dominus ſolvit compeditos: Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos.

Dominus cuſtodit advenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet.

Regnabit Dominus in ſæcula, DEUS tuus Sion, in generationem, & generationem.

Requiem æternam &c:

℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine Animas eorum.

℣. Dñe exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Orationes hoc ordine dicuntur.

Si fiant Vigiliæ pro aliquo Episcopo, vel Sacerdote, dicatur prima Oratio: DEUS qui inter Apostolicos, *Si pro quocunq; alio Viro,* Inclina. *Si pro fæmina,* Quæsumus Domine. *Si fit Officium ordinarium pro fratribus, & familiaribus, & benefactoribus,* DEUS veniæ largitor: *& secunda erit,* DEUS qui nos Patrem & Matrem. *tertia* Fidelium Deus *In omni Anniversario, prima* DEUS Indulgentiarum, *secunda.* DEUS veniæ, *tertia* Fidelium. *Si simul eveniat obitus, & Anniversarium, dimittatur Oratio,* DEUS veniæ, *& prima dicatur pro præsenti defuncto, secunda de Anniversario, tertia non mutetur. Fiant etiam prostrationes,*

si eo die facta sunt ad Horas Canonicas.

ORATIO.

Pro Episcopo, vel Sacerdote defuncto.

DEUS, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum Pontificali (vel Sacerdotali) fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus ut eorum quoq; perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum &c:

Pro Viro defuncto Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut Animã famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum &c:

Pro Fæminina defuncta Oratio:

QUæsumus Domine, pro tua pietate, miserere Animæ Famulæ tuæ; N. & à contagiis mortalitatis

exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum &c:

In omni Anniversario Oratio.

DEUS Indulgentiarum Domine, da Animabus famulorum, famularumq; tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus; refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum &c:

Pro Fratribus Familiaribus; & Benefactoribus defunctis Oratio.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis auctor: quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres, sorores, Familiares, & Benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata MARIA semper Virgine intercedente, cum omnib9 Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas: Per Dominum nostrum JESUM Christum, &c;

Pro

Pro Parentibus defunct: Oratio.

DEUS, qui nos Patrem, & Matrem honorare præcepisti: miserere clementer Animabus parentum nostrorum, eorumq; peccata dimitte: nosq; eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum nostrum, &c.

Pro omnibus Fidelibus defunctis: Oratio.

FIdelium DEUS omnium conditor, & redemptor, Animabus famulorum, famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut Indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas, cum DEO Patre in unitate Spiritus Sancti DEUS. Per omnia sæcula sæculorum, Amem.

In fine ultimæ Orationis dicatur tantùm, Requiescant in pace Amen.

AD MATUTINUM.

Absq. Pater noster, & Credo, absolutè incipitur.

IN I. NOCTURNO.

Psalmus 5.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meū.

Intende voci orationis meæ, Rex meus, & DEUS meus.

Quoniam ad Te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.

Manè astabo Tibi, & videbo: quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta Te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sangvinum, & dolosum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Intro-

Introïbo in domum tuam: adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, lingvis suis dolosè agebant: judica illos DEUS.

Decidant à cogitationibus suis secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in Te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in Te omnes, qui diligunt Nomen tuum, quoniam Tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Requiem æternam &c: *Ant:*

Ant: Dirige Domine DEUS meus, in conſpectu tuo viam meam.

Pſalmus 6.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et Anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine uſquequo?

Convertere Domine, & eripe Animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur Tibi.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt à furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſce-

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubeſcant valde velociter.

Requiem æternam &c:

Ant: Convertere Domine, & eripe Animam meam: quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui.

Pſalmus 7.

DOmine DEUS meus in Te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat ùt leo Animam meam: dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

Domine DEUS meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus Animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine DEUS meus in præcepto, quod mandasti: & Synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.

Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum & diriges justum, scrutans corda, & renes DEUS.

Justum adjutorium meum à Domino, qui salvos fecit rectos corde.

DE-

DEUS Judex juftus, fortis, & patiens: numquid irafcitur per fingulos dies?

Nifi converfi fueritis, gladium fuum vibrabit: arcum fuum tetendit, & paravit illum.

Et in eo paravit vafa mortis: fagittas fuas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injuftitiam: concepit dolorem: & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

Convertetur dolor ejus in Caput ejus: & in verticem ipfius iniquitas ejus defcendet:

Confitebor Dño fecundûm juftitiam ejus: & pfallam Nomini Domini altiffimi.

Requiem æternam &c:

Ant: Ne quando rapiat ut leo Animam meam, dum non eft qui redimat, neq; qui falvum faciat.

℣. A porta inferi, ℟.

℟. Erue Domine animas eorum.
Deinde Pater noster &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

Lectio I. *Job:* 7.

PArce mihi (Domine) nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculò, & subitò probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum? quare posuisti me contrarium Tibi, & factus sum mihi metipsi gravis? cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce nunc in pulvere dormiam, & si manè me quæsieris, non subsistam.

℟. Credo quod Redemptor meus vivit. & in novissimo die de terra surrecturus sum: & in carne mea

vide-

videbo Deum, Salvatorem meum.
℣. Quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Salvatorem meum.

Lectio 2. Cap. 10.

TÆdet Animam meam vitæ meæ dimittam adversum me eloquium meum. Loquar amaritudine Animæ meæ, dicam Deo: noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita judices? Nunquid bonum Tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? nunquid oculi carnei Tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis? nunquid sicut dies hominis dies tui & anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? & scias, quia nihil impium fecerim, cùm sit nemo, qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitasti à monumento fætidum: Tu eis, Domine, dona requiem, & locum Indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Tu eis, Domine, dona requiem.

Lectio 3. Cap. 10.

MAnus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Domine quando veneris judicare terram, ubi me abscondam à vul-

vultu iræ tuæ? Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commissa mea pavesco, & ante Te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: Animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est!

Et

Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Requiem eternam &c:

Ant: In loco pascuæ ibi me collavit.

Psalmus 24.

AD Te Domine levavi Animam meam; DEUS meus in Te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui sustinent Te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè.

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me; quia Tu es DEUS Salvator meus, & Te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt. De-

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Secundùm misericordiam tuam memento mei Tu: propter bonitatem tuam Domine.

Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansvetos in judicio: docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini, misericordia, & veritas, requirentibus Testamentum ejus, & Testimonia ejus.

Propter Nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur: & semen ejus hæreditabit terr[illegible]

Firmamentum est Dominus tim[illegible]

tibus eum, & Teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.

Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.

Reſpice in me, & miſerere mei: quia unicus, & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte univerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi Animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperavi in Te.

Innocentes, & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui Te.

Libera DEUS Iſraël, ex omni- s tribulationibus ſuis.

Requiem æternam &c: *Ant:*

Ant: Dilecta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine.

Pſalmus 26.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei: ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.

Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini, & viſitem Templum ejus.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum prote-

xit me in abſcondito tabernaculi ſui.

In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad Te: miſerere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit Te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſervo tuo.

Adjutor meus eſto: ne derelinquas me, neq; deſpicias me, DEUS ſalutaris meus.

Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

Ne

Ne tradideris me in Animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini: in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Requiem æternam &c.

Ant: Credo videre bona Domini in terra viventium.

℣. In memoria æterna erunt justi.

℟. Ab auditione mala non timebunt. *Pater noster &c.*

℣. Et ne nos inducas &c.

Lectio 4. Job: 13.

RESponde mihi: quantas habeo iniquitates, & peccata: scelera mea: & delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? contra folium, quod vero rapitur,

ostendis potentiam tuam & stipulam siccam persequeris? scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

℟. Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad Te DEUS meus? miserere mei dum veneris, in novissimo die.

℣. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine succurre ei. In novissimo die.

Lectio 5. Cap: 14.

HOmo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut um-

umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium? quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarij dies ejus.

℟. Ne recorderis peccata mea Domine, dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Dirige Domine DEUS meus in conſpectu tuo viam meam Dum veneris.

Lectio 6. Cap: 14.

QUis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tu-

us, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? putaſne mortuus homo rurſum vivat? cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.

℟. Domine ſecundum actum meum noli me judicare: nihil dignum in conſpectu tuo egi. Ideo deprecor majeſtatem tuam, ut Tu DEUS deleas iniquitatem meam.

℣. Amplius lava me Domine ab injuſtitia meæ, & à delicto meo munda me, quia tibi ſoli peccavi. Ideo deprecor.

IN III. NOCTURNO.

Pſalmus 39.

EXpectans expectavi Dominum, & intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum, carmen DEO nostro.

Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in domino.

Beatus Vir, cujus est nomen Domini spes ejus: & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Multa fecisti Tu Domine DEUS meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi: ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: DEUS

meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annunciavi juſtitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo Domine Tu ſciſti.

Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: Veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine ne longe facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniqvitates meæ, & non potui ut viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat Tibi Domine ut eru-

as me: Domine ad adjuvandum me respice.

Confundantur, & revereantur simul, qui quærunt Animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, & revereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi; euge, euge.

Exultent, & lætentur super te omnes querentes te: & dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus, & protector meus Tu es: DEUS meus ne tardaveris.

Requiem æternam &c:

Ant: Complaceat Tibi Domine, ut eripias me: Domine ad adjuvandum me respice.

Psalmus 40.

BEatus qui intelligit super egenum,

num, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in Animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus: univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana Animam meam, quia peccavi Tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur & peribit Nomen ejus?

Et ſi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum.

Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: adverſum me cogitabant mala mihi.

Ver-

Verbum iniqvum constituerunt adversum me: nunquid qui dormit non adijciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus DEUS Israël à sæculo, & usq; in sæculū: fiat, fiat.

Requiem æternam &c:

Ant: Sana Domine Animam meam, quia peccavi Tibi.

Psalmus 41.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat Anima mea ad Te DEUS.

Siti-

Sitivit Anima mea ad DEUM fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie; ubi est DEUS tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in Animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum DEI.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es Anima mea? & quare conturbas me?

Spera in DEO quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & DEUS meus.

Ad meipsum Anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia

Omnia excelſa tua, & fluctus tui: ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticum ejus.

Apud me oratio DEO vitæ meæ, dicam DEO: ſuſceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies: ubi eſt DEUS tuus? quare triſtis es Anima mea? & quare conturbas me?

Spera in DEO, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & DEUS meus.

Requiem æternam &c:

Ant: Sitivit Anima mea ad DEUM fortem vivum: quando veniam,

&

& apparebo ante faciem Domini?

℣. Ne tradas bestijs Animas confitentes Tibi.

℟. Et Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Pater noster. ℣. Et ne nos &c.

Lectio 7. Job: 17.

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solùm mihi superest sepulchrum. Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me juxta Te & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursùm post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea, & Soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & pa-

& patientia mea? Tu es Domine DEUS meus.

℣. Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me: quia in inferno nulla eſt redemptio: miſerere mei DEUS, & ſalva me.

℟. DEUS in Nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tuâ libera me. Quia.

Lectio 8. Cap: 19.

PElli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltèm vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina vel celte ſculpantur in ſcilice? Scio

enim,

enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea. & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℣. Memento mei Deus, quia ventus est vita mea. Nec aspiciet me visus hominis,

℟. Et non revertetur oculus meus, ut videat bona. Nec aspiciet me.

Lectio 9. Cap: 10.

QUare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, né oculns me videret. Fuissem, quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non revertar ad terram tenebro-

ſam, & opertam mortis calligine: terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

℞. Libera me Domine, de morte æterna in die illa tremenda: Quando Cæli movendi ſunt, & terra: Dum veneris judicare ſeculum per ignem.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ, dies magna, & amara valde. Quando cæli *uſque* Dum veneris. *excluſ:*

℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Dum:

℣. Creator omnium rerum Deus, qui me de limo terræ formaſti, & mirabiliter proprio ſangvine redemiſti, corpuſque meum, licèt modo putreſcat, de ſepulchro facies in die judicii reſuſcitari: exaudi, exaudi me, ut animam meam in ſinu

Abra-

Abrahæ Patriarchæ tui jubeas collocari.

℟. Libera &c: *usque ad I. ℣. exclusivè.*

AD LAUDES.

Absolute inchoëtur.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & á peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Ec-

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Nè projicias me à facie tua: & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de ſangvinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingva mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Requiem æternam &c:

Antiph: Exultabunt Domino ossa humiliata.

Psalmus 64.

TE decet hymnus Deus in Syon: & tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba

Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ, Sanctum eſt Templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos DEUS ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum ejus.

Turbabuntur Gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis: exitus matutini, & Veſperæ delectabis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.

Flumen DEI repletum eſt aquis paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio ejus. Ri-

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ſtillicidijs ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate.

Pingveſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur.

Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent.

Reqviem æternam &c:

Ant: Exaudi Domine Orationē meam, ad Te omnis caro veniet.

Pſalmus 62.

DEUS DEUS meus, ad Te de luce vigilo.

Sitivit in te Anima mea: quam multipliciter Tibi caro mea.

In terra deſerta, & invia, & inaqvoſa: ſic in Sancto apparui Tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quo-

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt Te.

Sic benedicam te in vita mea: & in Nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, & pingvedine repleatur Anima mea: & labijs exultationis laudabit os os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo abhæſit Anima mea poſt Te: me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi vero in vanum quæſierunt Animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in DEO, laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Hic non dicitur Requiem.

Psalmus 66.

DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur Tibi populi DEUS: confiteantur Tibi populi omnes.

Lætentur & exultent Gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.

Confiteantur Tibi populi DEUS: confiteantur Tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos DEUS, DEUS noster, benedicat nos DEUS: & metuant eum omnes fines terræ.

Requiem æternam &c:

Ant: Me suscepit dextera tua Domine.

Canticum Ezechiæ Regis, Isaiæ 38.

EGo dixi: in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.

Quesivi residuum annorum meorum: dixi: non videbo Dominum DEUM in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, & convoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velùt à texente, vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me: de manè usquè ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad manè, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De manè usquè ad vesperâm finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, suscipientes in excelsum.

Domine vim patior, responde pro me: Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit.

Recogitabo Tibi omnes annos

meos: in amaritudine Animæ meæ.

Domine si sic, vivitur, & in talibus vita Spiritus mei, corripies me, vivificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti Animam meam ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia nō infernus confitebitur Tibi, neq; mors laudabit Te: non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur Tibi, sicut & ego hodiè: Pater Filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis dieb9 vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam &c:

Ant: A porta inferi, erue Domine Animas eorum.

Psalmus 148.

LAudate Dñum de Cælis: laudate eum in excelsis. Lau-

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum Sol, & luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

Laudate eum Cœli Cœlorum: & aquæ omnes, quæ ſuper Cælos ſunt, laudent Nomen Domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & univerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: Principes, & omnes judices terræ.

Juvenes & Virgines: ſenes cum junioribus laudent Nomen Domini: quia exaltatũ eſt Nomen ejus ſolius.

Confeſſio ejus ſuper Cœlum, & terram, & exaltavit cornu populi ſui:

Hymnus omnibus Sanctis ejus: filiis Iſraël, populo appropinquanti ſibi.

Hic non dicitur Requiem.

Pſalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia Sanctorum.

Lætetur Iſraël in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultent in Rege ſuo.

Laudent Nomen ejus in choro: in tympano, & pſalterio pſalant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſvetos in ſalutem.

Exultabunt Sancti in Gloria; lætabuntur in cubilibus ſuis:

Exaltationes DEI in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Ad aligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.

Hic non dicitur Requiem.

Psalmus 150.

LAudate Dñum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in cordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benè ſonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Requiem æternam &c:

Antyph: Omnis Spiritus laudet Dominum.

Canticum Zachariæ. Lucæ 1.

BEnedictus Dominus DEUS Iſraël quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornù ſalutis nobis: in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Juſjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis.

Ut

Ut sine timore de manu inimicorū nostrorum liberati, serviamus illi.
In Sanctitate, & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.
Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.
Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiæ DEI nostri: in quibus visitavit nos, oriens ex alto.
Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedenti: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Requiem æternam, &c.
Ad Benedictus Antiph: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.
Pater noster, *sub silentio.*

Deinde dicitur. Psalmus 129.

DE profundis clamavi &c: *ut supra.*

Requiem æternam, &c: ℣. A porta inferi, &c: Dñe exaudi &c:

Oremus.

Orationes ut supra in Vesperis, &c: *In fine dicitur* Requiescant in pace.

Ad Beatam Virginem pro Defunctis.

HIs qui languent in Purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur sine remedio,
Nunc succurrat tua compassio.
℟. O MARIA.

Fons, & puteus, quæ culpas abluis,
Omnes sanas, & nullum respuis:
Manus tuas extende mortuis,
Qui sub pænis langvent continuis.
℟. O MARIA.

Ad Te, pia, suspirant mortui,
Cupientes de pœnis ervi.
Et adesse tuo conspectui,
Ac æternis gaudiis perfrui.
℟. O MARIA.

Cla-

Clavis David, quæ Cœlum aperis,
Nunc Beata ſuccurre miſeris,
Qui tormentis torquentur aſperis,
Educ eos de domo carceris.
℟. O MARIA.
Lex juſtorum, norma credentium,
Vera ſalus in te ſperantium:
Pro defunctis ſit Tibi ſtudium,
In ceſſanter orare Filium.
℟. O MARIA.
Benedicta per tua merita,
Te rogamus mortuos ſuſcita:
Et demittens eorum debita,
Nunc ad Cœlos ſis eis ſemita.
℟. O MARIA.
Sancta MARIA Mater Dñi noſtri JESU Chriſti, ora pro me miſero peccatore, nunc, & in hora mortis meæ.

Orationes ad SS. V. Mariam pro ſalutari morte, quas ipſa B. V. M. S. Methildem docuit.

I. O Domina mea S. MARIA, ſicut DEUS Pater per Omni-

potentiam ſuam, Te Potentiſſimam effecit, ita quæſo mihi adſis, in hora mortis expellendo à me contrariam poteſtatem. *Ave Maria, &c:*

2. O Domina mea S MARIA. Sicut Filius DEI, tanta Te cognitione & claritate, dignatus eſt, ut totum Cœlum illumines, ita in hora mortis Animam meam cognitione fidei ſic illuſtres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur. *Ave Maria, &c:*

3. O Domina mea S. MARIA, ſicut Spiritus Sanctus ſui amorem, Tibi plene infudit, ita Tu in morte dulcedinem amoris Divini mihi inſtilla ex quo, omnis amaritudo mihi reddatur ſvaviſſima.

Ave Maria, &c:

TRA-

TRACTATUS VITÆ
Et instructionis Spiritualis Sancti VINCENTII Ferrerij Ord: Præd:

Præfatio Ejusdem Sancti.

P*Onam in hoc tractatu tantummodo documenta salubria ex dictis Doctorum extracta: non adducam aliquod scripturæ testimonium, vel alicujus Doctoris ad probandum quæ dicam vel suadendum: tum quia brevitati intendo, tum quia tantummodo ad eum sermonem dirigo: qui cum magno affectu desiderat implere quæcumque secundum Deum facienda cognoverit. Et idcirco etiam dicta non probo, quia humilem intendo instruere, non cum arrogantibus sententionibus deservire. Quicumque ergo voluerit proximorum animabus utilis esse & ipsos verbis ædificare primo debet*

debet in seipso habere, quidquid aliis est docturus: alioquin parum proficiet; nam verbum ejus erit inefficax: nisi prius homines in eo comperiant esse quod docet: & longe majora.

De Paupertate
CAPUT I.

Oportet enim primitus, ut omnia terrena contemnat, & velut stercora reputet: & solum districtissime ad necessitatem de ipsis recipiat, quam necessitatem in pauco colligat, sufferendo etiã quædã incommoda propter paupertatis amorem, sicut quidam ait: Scio quod laudabile non est pauperem esse, sed paupertatem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere. Proh dolor multi de paupertatis solum nomine gloriantur, sed eo pacto, ut

eis nihil deſit. Dicunt ſe amicos paupertatis, ſed paupertatis ſodales & amicos fugiunt quantũ poſſunt, famem, ſitim, contemptum, deſpectionem. Non ſic S. Dominicus Pater noſter: non ſic Ille qui cum dives eſſet, pro nobis egenus factus eſt. Omneſq; Apoſtoli, ita ut noſti, verbo & exemplo docuere. Nihil ab aliquo petas, niſi ſit neceſſitas, nec acquieſcas cuicumque dare volenti quibuſcumque precibus etiam ſub prætextu, ut indigentibus largiaris: quia crede quod in hoc ipſe & omnes, qui audierint, finaliter multum lætificabũtur, ac per hoc ad contemptum mundi eos poteris facilius inducere, & ad ſubventionem aliorũ indigentium inclinare. Neceſſitatem autem tuam intelligo in parco victu, & vili veſtitu & calcea-

ceamento, quibus nunc præsentialiter indiges. Non voco autẽ necessitatẽ librorũ, inopiam sub quorũ velamine frequenter magna avaritia cooperitur. Satis enim libri cõmunes vel accõmodati inveniuntur in ordine. Et quicumque effectus prædictorũ voluerit clarè cognoscere, studeat primò corde humili adimplere: alioquin si corde tumido contradicere voluerit, foris stabit. Nam à Christo humilitatis magistro humilibus manifestatur veritas, quæ tumidis occultatur.

De taciturnitate
CAPUT II.

FActo ergo paupertatis stabili fundamento à Christo Fundatore in vertice posito, dicente: Beati pauperes spiritu &c: ad restringendam linguam viriliter se accingat; ut lingua, quæ

utilia

utilia debet loqui, ab ociosis & inutilibus compescatur omnino. Et ut melius restringat, penitus non loquatur, nisi interrogatus. Interrogatus dico de re necessaria & utili. Nam inutilem quæstionem silentium debet solvere. Si quæ tamen causa solatii vel recreativa sibi dicatur, ne onerosius alijs videatur, quandam vultus hilaritatem & benignitatem poterit ostendere, sed nullomodo loqui: etiam si illi, quicumque sint de hoc videantur murmurare vel contristari, aut verba detractionis proferre, ipsum causando singularem, seu superstitiosum & gravem. Debet tamen pro ipsis attentius orare ut Deus ob eorum cordibus omnem turbationem amoveat. Poterit tamen aliquando loqui, si imminet aliqua necessitas, vel proximi chari-

charitas, vel obedientia provocatus, & tunc valde præmeditari, & cum paucitate verborum voce humili & summissa. Quod etiam debet facere, dum alicui habet respondere de aliquo. Nã taceat ad tempus ad proximi ædificationem, ut tacendo discat qualiter suo tempore loqui valeat: rogando tamen Deum ut per seipsum suppleat: cordibus proximorum interius inspirando ea, à quibus interim se abstinet; linguam per silentium edomãdo.

De puritate & munditia cordis.

CAPUT III.

Extirpatis igitur per paupertatem voluntariam & per silentium multis sollicitudinibus, quæ impediunt virtutum semina: ne quantumcunque in agro cordis sæpe & sæpius seminata inspiratione divina, valeant pullula-

lulare: jam tibi superest cura virtutibus illis amplius insudare, quæ te adducant ad illam cordis munditiam, per quam interiores oculi juxta Salvatoris eloquium, apperiantur in contemplatione divina, per quam habeas quietem & pacem, ut ille cujus in pace factus est locus ejus, in te quoque habitare dignetur. Nec intelligas me loqui de munditia, quæ hominem purgat, tantummodo à luxuria cogitationis immundæ: sed loquor potius de illa munditia, & cordis puritate, quæ hominem elongat, quantum in hac vita poßibile est, à quibuscunque cogitationibus inutilibus, ut jam non libeat homini aliquid cogitare nisi de Deo, vel propter Deum. Ad hanc autem obtinendam cælestem (ut ita dicam) imo divinam quodã-

modo

modo puritatem (nam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo) ista necessaria sunt: primo omnino studeas, quantumcunque potes, abnegare te ipsum juxta Salvatoris præceptum: Qui vult venire post me, abneget semetipsũ &c. Et hoc sic intellige, ut tuam voluntatem in omnibus mortifices, & in omnibus contradicas, benigne amplexando aliorũ voluntatem, si tamen licita sit & honesta. Hoc tamen generaliter habeas pro quacunque re temporali, per quam corporalibus necessitatibus deseruitur, numquam sequaris voluntatem propriam, ubi alium contradicere videas, quantumcumque exorbitaret à judicio rationis, sufferasque quodcumque incommodum pro interna mentis trãquillitate servanda, quæ per tales re-

pugnantias perturbatur, dum homo ſuo judicio adhærendo, & ſuam voluntatem implendo, verbis vel cogitationibus cum alijs altercatur. Et non ſolum in temporalibus ſed etiam in his, quæ ſpiritualia ſunt, vel ad ſpiritualia ordinata, alterius potius, quã tuam impleas voluntatem, dummodo ſit bona, licet tua perfectior videatur, quia majus detrimentum acquires in diminutione humilitatis & tranquillitatis, & pacis cum alijs, contendendo, quam poſſit provenire profectus in quocumque alio virtutis exercitio, voluntate propria aſſecuta, alteri repugnando: & hoc intelligas quantum ad illos, qui ſunt tibi familiares, & in ſpirituali exercitio ſocij, & qui ad perfectionis virtutem anhelant non de illis, qui dicunt, bonum

ma-

malum & malum bonum & qui ſtudent aliorum dicta, & facta carpere, & judicare pluſquã ſua prava corrigere. Non enim dico, quod debeas talium judicio adhærere in his quæ ſpiritualia ſunt. Nam in temporalibus bene debes quorumcumque voluntatem pluiquam tuam exequi & implere. Si autem in his, quæ ſecundum Deum operari deſideras, ſive ad profectum tuum vel ad Dei honorem vel proximi utilitatem aliquos tibi obſiſtere videas ſeu etiã totaliter impedire, ſive ſint ſuperiores, pares vel inferiores, noli contentionibus deſervire, ſed te ipſum reſtringe, & tecũ Deo tuo colligens ubique dicas: Dñe vim patior, reſponde pro me. Nec de hoc contriſteris, quia non poſſunt id facere niſi finaliter pro bono tuo & alio-

rum,

rum, sit expediens. Imo plus dico tibi, quod quantumcumq; ad præsens non videas, videbis finaliter, quod illud in quo tibi eos impedimenta præstare credebas, erit tibi adjuvamen ad tuum propositum assequendum. Licet autem de horto sacræ scripturæ possem tibi ad hæc exempla producere, sicut de Joseph & multis aliis, nolo tamen contra id facere, quod prædixi: sed experto crede quia ita est. Si etiam in his, quæ secundũ Deum desideras, te videas quodammodo divinitus impediri vel per infirmitatem, vel quocumque alio contingente: de hoc nullatenus contristeris: sed totum æquanimiter feras, & te ex toto committas illi, qui melius novit, quid tibi expediat, quam tu ipse: qui te ad se continuo sublevat,

dum-

dummodo te ipſum illi ex toto committas, quamvis forte tu hoc minime videas. Ad hoc ergo ſit totum ſtudium tuum, ut te ipsũ in pace & traquillitate cordis poſſideas, & pro quocumque eventu non doleas, niſi de ſolo peccato proprio vel alieno ſeu de his, quæ te inducerent ad peccatum. Non ergo te contriſtet quicumque caſus fortuitus, non te exagitet indignationis ſtimulus contra defectum alterius, ſed habeas ad quemcumque miſerationis & compaſſionis affectum, cogitans ſemper quòd tu peius faceres, niſi te Chriſtus JESUS ſua gratia conſervaret. Præpara inſuper teipſum ad quæcunque opprobria, ad quæcumque aſpera, ad quæcunque adverſa pro Chriſti Nomine ſufferenda. Omne etiam appetitum ſeu cogi-

tatum tibi ſuggerentem appetitum cujuſcunque altitudinis, ſub quocunque charitatis prætextu in ipſo principio & ortu ſuo velut caput draconis infernalis cauterio mortifices cum baculo crucis, tibi Chriſti humilitatem & duriſſimam paſſionem ad memoriam revocando, qui regnum fugiens, crucem voluntariè eſt amplexus, omni confuſione contempta. Omnem humanam laudem fugiens cum horrore tanquam venenum mortiferum, & in deſpectu tuo gaudens teipſum talem verè & ex corde reputes, qui merito debeas ab omnibus conculcari & deſpici. Videas continuo tuos defectus & peccata tua: & ea aggrava quatumcumque poteris: aliorum vero defectus poſt tergum projicias, & non videas, & ſi vides, allevies,

& excuses, & ipsis compatiaris & adjuves, quantumcunque poteris. Averte oculos tuos & mentis & corporis ab aliorum aspectu, ut teipsum possis inspicere in lumine vultus tui. Teipsum sine cessatione considera, & semper sine simulatione dijudica: in omni locutione tua, in omni cogitatione tua, in omni lectione te ipsum reprehende & in te semper materiam compunctionis studeas invenire, cogitando, quod bona, quæ facis non sunt plene executa, nec illo fervore facta, quo deberent & multis negligentiis inquinata: ut merito omnis tua justitia panno menstruatæ debeat comparari. Te igitur ipsum continuo reprehendas, nec permittas in te sine forti increpatione transire, non solum negligentias verborum & operum,

sed

ſed etiam de ipſis cogitationibus non dico malis tantummodò, ſed etiam inutilibus in conſpectu Dei tui omni hora graviter reprehendas te, & te reputes magis vilem & miſerabilem pro tuis defectibus coram Deo quam quoscunque pecatores pro quibuscumq; peccatis: & merito puniendum & à cæleſtibus gaudiis excludendum, ſi ſecundum juſtitiam ſuam, & non ſecundum miſericordiam ſuam vellet tecum agere Deus tuus: qui tantas gratias ſuper multos alios tibi prærogavit, ad quas omnes ingratus extitiſti. Conſidera etiam diligenter & cum pavore frequentiſſime rumina, quod omnem aptitudinem ad bonum, & omnẽ gratiam ſeu quamcunque ſollicitudinem ad virtutis acquiſitionem à te ipſo non habeas, ſed

Christus sua misericordia dedit tibi, quòd si voluisset, potuisset ita conferre cuicumque scelesto te in luto fæcis & lacu miseriæ derelicto. Cogita etiam teipsũ & ad hoc te prehendum inducas: & hoc tibi ipsi persuadeas quantum potes, quod non est scelestus vel quicunque peccator, qui non magis assisteret Deo suo quã tu: & qui non magis recognosceret Dei beneficia quam tu, si recepisset gratias quas tu, sola Dei gratuita bonitate & non propriis meritis recepisti, propter quod sine fallacia potes teipsum viliorem & inferiorem omni homine judicare, & merito formidare, ne propter ingratitudinem tuã à suo conspectu te Christus foras abjiciat. Non tamen dico, quod per ista debeas credere te esse extra gratiam Dei vel esse in pec-

cato

cato mortali, quamvis alij pec-
catores habeant innumerabilia
peccata mortalia: quod tamen
eſt nobis multum occultum pro-
pter fallax judicium: tum pro-
pter ſubitam contritionem & di-
vinæ gratiæ præviam infuſionem.
Dum autem te ipſum vilificando,
alijs peccatoribus comparas; non
expedit tibi in ſpeciali ad eorũ
peccata deſcendere: ſed ſolum
in quodám generali cum eorum
peccatis tuam ingratitudinem
ponderando, quia etiam ſi in ſpe-
ciali vilis eorum peccata videre,
potes eadem peccata in te qua-
dam ſimilitudine transformare,
ſic te in tua conſcientia incre-
pando. Ecce ille eſt homicida,
& ego miſer quoties occidi ani-
mam meam. Ille fornicator &
adulter eſt: & ego tota die for-
nicor & adulteror, à Deo meo

oculos avertendo, & diabolicis ſuggeſtionibus me ſupponendo: & ſic de alijs. Si autem videris, quod diabolus te velit in talibus reſponſionibus quodãmodo per talia ad deſperationem inducere, tunc omiſſis talibus increpationibus, in ſpem aſſurgas: conſiderata bonitate & clementia Dei tui, qui tot te beneficijs jam prævenit. Nec dubium, quin opus ſuum in te velit perficere, quod incepit. Communiter tamen de homine ſpirituali, qui aliqualem Dei notitiam jam percepit, de hac deſperatione timere non expedit: dum toto ſtudio ad ſe increpandum invigilat. Illi tamen poſſet àccidere imo ſæpe accidit in homine incipiente & ſpecialiter quem Deus liberavit à multis periculis ſceleribuſque quibus ſuerat involutus. Ex his quæ

ſupra

supra jam perstrinxi generabitur in te virtus illa, quæ est mater & origo custosque virtutum, scilicet, humilitas quæ interiores oculos aperit ad Dei conspectum, cor humanum ab omni superflua cogitatione purgando. Nam dū homo in suam resilit pravitatem, seipsum vilificando se increpando, se detestando, suam nihilitatem considerando: sibi ipsi intentissime displicendo, & hæc similia cogitando & talem se verè existimando, in tantū circa propria negotia occupatur, quod omnis alia inutilis cogitatio arescit. Et sic dum anima omnia audita, visa & temporaliter operata à se repellit & in oblivionem adducit, incipit ad seipsam redire, & modo mirabili in seipsam convolui, & sic ad originalem justitiam & cælestem puritatem ap-
pro-

propinquare incipit. Sic dum in seipsa reflectitur, contemplationis oculus dilatatur: & in se scalam erigit, per quam transeat ad contemplandum Angelicum spiritum & divinum. Et ex tali contemplatione animus exardescit ad bona cælestia, & omnia temporalia à longe conspicit tanquã nihil. Per hoc illi perfecta charitas incipit in mente fervescere, quæ velut ignis consumit omnẽ rubiginem interioris hominis. Quod si sic totam animam occupat charitas, non est quò intret vanitas: Jam quidquid cogitat, quidquid loquitur vel operatur, totũ provenit ex dictamine charitatis. Unde secure potest aliis prædicare sine detrimento, sine inanis gloriæ periculo. Neque enim ut jam dixi potest aliqua vanitas subintrare, ubi charitas

ritas totum occupavit. Nũquid jam reſpectum habebit amplius ad aliquod commodum temporale, qui omnia reputat velut ſtercus? Sed & ipſe laudis appetitus numquid animum ejus poterit ſubintrare, cum ſe videat velut ſtercus viliſſimum coram Deo, miſerum abominabilem & ad omnia peccata proclivem, niſi eum ſua benignitate manus conditoris continuo conſervaret? Quomodo jam extolli poterit de quocunque bono opere, qui luce clarius videt ſe nihil poſſe penitus agere niſi continuo de hora in horam divina virtus quodammodo cogat eum atque conſtringat? Quomodo jam ſibi aliquid attribuet ac ſi à ſe ipſo proveniat, qui non dicam centies, ſed etiam millies eſt expertus ſuam impoſſibilitatem in quibus-

cumque bonis operibus magnis & parvis, & qui toties cognovit se non posse, dum voluit: & quando ut ita dicam, non voluit, nec curavit, nec super talibus cogitabat, vidit subito se divinitus excitatum fervore mirabili ad illa facienda, quæ prius cum omni conatu suo implere non poterat. Nam & talem impossibilitatem idcirco Deus tam longo tempore dominari permittit in homine: ut homo discat humiliari & ut numquam in seipso inaniter glorietur; sed Deo attribuat omne bonum non solum in consvetudine quadam: sed potius ex intimis cordis sui: utpote qui & propria experientia doctus luce clarius videt quod non solum non possit operari, sed nec Iesus dicere, nisi in Spiritu Sancto, & nisi ille donaret qui dicit: sine

me

me nihil potestis facere, ut jam regratiando ex totis animæ suæ viribus Domino confiteatur & dicat, omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: ac cum Psalmista clamet, non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Non igitur tali timenda est vana gloria, quãdo jam Dei vera gloria & animarum zelus ejus præcordia totaliter occupant. Ecce jam summarie perstrinxi, & in quodam brevi loquio posui ea, quæ sunt necessaria homini in seipso quantum ad vitæ suæ perfectionem; si utiliter & sine periculo vult animæ suæ procurare salutem. Et hæc quidem sufficerent homini illustrato & altum intellectum habenti, & qui in operibus spiritualibus longum habuisset exercitium: quia in his quæ posui

brevi-

breviter tanquam quibusdam vitæ perfectæ principijs recolligere posset quæcunque alia perfectorum actuum exercitia. Nam his tribus primis perfecte servatis, scilicet voluntaria paupertate, taciturnitate, & interna mentis exercitatione, de quibuscunque alijs exterioribus actibus quomodo essent faciendi, homo judicaret. Quia tamen non omnes possunt capere faciliter breviter dicta, paulo diutius insistemus circa particulares actus virtutum.

Quod per Instructorem idoneum citius & facilius pervenitur ad perfectionem quàm per seipsum.

CAPUT IV.

SCiendum igitur quòd homo facilius & in breviori tempore posset ad perfectionem pertingere, si haberet instructorem, cujus

jus regimine duceretur, cujus obedientiam in omnibus actibus parvis & magnis totaliter ſequeretur, quam aliquis poſſet per ſe ſe ipſum proficere, quantumcunque vigeat acumine intellectus, & libros habeat in quibus videat virtutum omnium ſtructuram exaratam. Imo plus dico, quòd numquam Chriſtus ſuam gratiã miniſtrabit, ſine quo nihil poſſumus, ſi homo habet à quo poſſit inſtrui & deduci, & negligit vel non curat alterius ducatum amplecti, credens ſibi ſufficere, & per ſe poſſe inveſtigare & invenire, quæ ſunt utilia ad ſalutem. Iſta enim via obedientiæ eſt via regia, quæ homines inoffenſo pede ducit ad ſummitatem ſcælæ, cui Dominus apparet innixus. Hanc viam tenuere omnes Sancti Patres in cremo, & breviter

omnes

omnes qui ad perfectionem attigerunt per hanc ſemitam proceſſerunt: niſi forte Deus aliquos per ſeipſum inſtruxerit ex privilegio gratiæ ſingularis, deficientibus eis, & non inventis qui eos inſtruerent, quia tunc pietas divina per ſe ſupplet, quod exterius minime reperitur: ſi tamen corde humili & ferventi ad Deum accedunt. Et quidem iſto tempore (heu nobis miſeris) quaſi nullus reperitur, qui alios de perfectione vitæ inſtruat: cum potius ſi homo velit tendere ad Deum; inveniat retrahentes multos, & quaſi neminẽ adjuvantem. Quamobrem expedit, ut homo ad Deum toto corde recurrat, & ab eo inſtrui cum omni orationum inſtantia & cordis humilitate depoſcat: & ſe in Deum projiciat, ſe ipſi totaliter committendo:

do: ut ipſum benignus tanquã orphanum ſine Patre recipiat, qui neminem vult perire, ſed vult ad cognitionẽ veritatis quoscunque venire. Igitur ad te dirigo ſermonem meum qui magno cordis affectu Deum deſideras invenire, qui ad perfectionẽ adhelas, ut in animabus aliorum utilis eſſe valeas. Ad te ergo nunc dirigo ſermonem meum, qui corde ſimplici & non duplici accedis ad Deum, qui quæris virtutum intima penetrare, qui per viam humilitatis pervenire deſideras ad gloriam majeſtatis.

De obedientia ſervanda.

CAPUT V.

DUobus igitur jam præmiſſis, ſcilicet paupertate & taciturnitate, tanquam fundamentis primariis, Chriſti athleta ſe accingat, ut obedientiæ regulam

& ſe-

& ſemitam in omnibus & per o-mnia teneat, quantum poterit inconcuſſe, ſecundũ regulã, cõ-ſtitutiones, rubricas ordinarij, & aliorum librorum, omni loco & tempore intus & extra in refe-ctorio, dormitorio, in choro incli-nationes, & proſtrationes facien-do ſurgendo & ſtando, & omnes majorũ ordinationes ad ungvem teneat, quantũ poteſt, ſemper co-gitans verbũ Chriſti, qui vos au-dit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Deinde ad coaptandũ corpus ſuum totaliter in obſe-quio Chriſti Ieſu coerceat, ut o-mnes actus & motus corporis ſint omni morum honeſtate com-poſiti ſecundum regularem di-ſciplinam. Neque enim poteris unquam animam ab inordinatis cohibere, niſi prius ſtudueris cor-pus tuum ſubjicere diſciplinæ

ipſum

ipſum reſtringendo non ſolum ab omni actu ſed etiam ab omni motu incongruo & inepto.

De modo regulandi corpus

CAPUT VI.

IGitur regulationem corporis intendendo, primo contra gulam inſiſtas. Niſi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquiſitione aliarum virtutum. Iſtum autem modum obſerves. Primo ut nihil tibi in ſpeciali procures, ſed cibariis, quæ fratribus communiter apponuntur, ſis contentus. Sæcularib9 volentibus tibi encænia mittere, nullatenus acquieſcas pro tua perſona: ſi tamẽ volũt conven tui mittere, mitta*n*t. Invitationes fratrum extra refectorium nullo modo recipias: ſed continuo refectorium teneas, omnia jejunia ordinis obſervando. Et hoc intel-

tellige, quandiu Christus te in sanitate conservabit. Nam si infirmus fueris, juxta infirmitatis necessitatem te tractari permitas nihil tibi penitus procurando, sed omnia cum gratiarum actione recipias, quæ tibi fuerint ministrata. Ut autem non excedas in sumptione cibi & potus, debes naturam tuam diligentissime examinare, quanto cibo & potu valeas sustentari: ut scias judicare inter superfluum & necessitatem. Hoc autem habeas pro regula generali ut saltem de pane comedas sufficienter, quantum natura requirit specialiter dum jejunas. Nec unquam credas diabolo svadenti tibi facere abstinentiam de pane. Et in hoc poteris experiri, quantum natura requirit, vel quid sit illi superfluum: si tempore binæ refectio-

nis post nonam inveneris te gravatum, & in stomacho sentias quendam ardorem, ut orare, scribere vel legere nequeas: communiter hoc accidit propter excessus: si idem sentias post matutinas, quando cænasti: si etiã quando jejunas post completorium idem gravamen adesse percipias. Igitur comede satis de pane, si tamen ut post comestionem sis paratus legere scribere vel orare: si tamẽ illa hora non esses ita aptus sicut aliis horis, dum tamen non senties gravamen aliud, ut prædixi non esset crimen excessus. Cogita igitur tuæ naturæ sufficientiam modo prædicto vel aliter, prout te docebit altissimus, à quo debes simpliciter postulare. Sis sollicitus valde illum modum continue observare, & semper in mensa, quid-

quid comedis æſtimare: & quando per negligentiam exceſſeris, non ſinas abſque pænitentia digna pertranſire.

De modo bibendi.

CAPUT VII.

DE potu verò neſcio tibi regulam ponere, niſi quòd paulatim te reſtringas de die in dië minus bibendo: ita tamen, quòd non ſitias nimis & nocte. Specialiter autem cum potagium comedis, potes facilius tranſire cũ potu temperato: ita tamen, quòd ſufficiat ad cibi digeſtionẽ. Nolo tamen bibas extra comeſtionis horam niſi veſperi quando jejunas, & tunc valde temperate: vel niſi propter laborem itineris, vel quancunque aliam laſſitudinem. Bibas autem vinum ita limphatum, quòd vini fortitudo deficiat. Et eſſet ſi forte, ap-

ponas

pònas aquæ medietatem vel plus. Et ſic magis vel minus ſecundum quòd Dominus inſpiraverit.

De modo ſtandi in menſa quo ad utrumq; hominem.

CAPT VIII.

PUlſato itaq; cymbalo, cum omni maturitate lotis manibus in clauſtro ſedendo nola pulſata, refectorium introibis: & non parces tibi, cum omni fortitudine tua, cum vocis & corporis modeſtia Dominum benedicens, & juxta ordinem tuum te collocabis in menſa, cogitans apud te corde pavido quod debeas peccata populi manducare: cor tuum etiam præparabis ad intelligentiam lectionis, quæ legitur in menſa, vel ſi lectionem non habeas, ad meditationem aliquam Spiritualem, ut nequaquam totus comedas, ſed corpore ſuam refectionem habente,

Ani-

Anima nullatenus defraudetur. Positus autem ad mensam, vestimenta decenter coaptes, cappam super genua retorquendo. Statue autem pactum tecum omnino, ut nullo modo circumspicias comedentes, sed solùm tibi apposita videbis. In principio cùm sederis, ne extendas subitò manus ad incidendum panem, sed stes aliquandiu super; usquequo saltem dicas Pater noster & Ave Maria, pro Animabus defunctorum, qui in purgatorio existunt magis indigentium. Hoc autem generaliter habeas, quod omnem actum & omnem corporis motum cum quadam modestia facias. Si panem diversum, durum mollem album, aut aliter factum, ante habeas, illum comedas qui est vincior, & libentius comedas illum ad quem minus sensualitas inclinatur. Nunquam in mensa aliquid petas, sed permitte alium pro te postulare. Quod

ſi non faceret, patientiam habe. Non teneas cubitum ſuper menſam ſed ſimpliciter manus. Non teneas crura divaricata, nec pedem alteri ſupponas. Non recipias ſcutellas duplices, vel aliud quodcunque, niſi tantùm quantùm communiter omnes alij habent. Quamcunq; pitantiam à quocunq; Miſſam, etiam priore, non comedas; ſed ut potes, competenter in fragmentis abſcondas, vel in ſcutella. Ubi nota quod mos Deo gratus eſt aliquid de potagio Chriſto pauperi ſemper in ſcutella dimittere, ſimiliter aliqua panis fragmenta non cruſtas, imò illas comedas, & de pane confracto Chriſto dimittas. Nec nimis cures ſi de hoc aliqui murmurent, dummodo prælatus tibi non mandaverit oppoſitum. Et generaliter de omni eo quod comedis, aliquam particulam Chriſto pauperi dimittas, & bolos meliores, & non vilio-

viliores. Sunt tamen aliqui, qui vilia tantum donant Christo, sicut porcis fieri consvevit. Si tamen cum uno pulmento sufficiencer potes comedere de pane, in secundo pulmento aliquid de pane reponas, & Christo dimttas. Et si tibi Dominus donaverit, potes facere quasdam mirabiles abstinentias, Deo gratas, & hominibus incognitas. Si est tibi cibus insipidus, ex defectu salis vel alia quacunque causa, noli apponere tibi sal, nec aliud condimentum propter Christum felle & aceto potatum, sed sensualitati resistas: similiter quæcunq; salsamenta quæ ad nihilum valent, nisi ad gulæ excitamentum, dimittere occultè potes. Quandocunq; aliqvis bolus gratus tibi circa finem apponitur, istum dimitte propter Denm. Similiter caseum, fructus, hujuscemodi, sicut nectar, vinum melius apportatum,

& cætera quæ non ſunt neceſſitatis pro ſalute corporis humani, imò frequenter eſt noxium, dum prodeſt quod delectat. Si dimiſeris propter Chriſtum hæc, non dubito quin tibi parabit in dulcedine Chriſtus Dominus cibum conſolationis Spiritualis, etiam in alio cibo, quo contentus es propter Chriſtum. Et ut melius & facilius poſſis à quibuſcunq; volueris abſtinere, ponas in corde tuo, quando vadis ad menſam, quod pro peccatis tuis debes in pane & aqua abſtinere. Unde panis ſit ſolus cibus, & pulmentum pro cibo non adiicias ſed ut poſſis panem convenientius deglutire. Tene quòd ſi hoc poſueris in corde tuo, quòd videbitur tibi magna pitantia, habere aliquid de pulmento. Et obſerues quòd non ponas offas multas in paropſide, ſed ſufficiat tibi panem intingere. Quando verò pulmentum

non habueris, comedas panem vel dimidium vel pauló plus. Quando bis comesturus es, naturæ satisfacias etiam si talia non haberes. De multis talibus actibus quos tibi exprimere non possum te instruet Christus, si ad ipsum ex corde recurreris, & totam spem in ipso posueris. Quis enim exprimere valet modos innumeros, quos Tibi DEUS demonstrabit? sis etiam attentus, nec sis de illis qui finem non faciunt in edendo: imò quam citissimè poteris te expedias, seruata debita honestate, ut magis lectioni possis attendere. Dum à mensa surgis, ex toto corde regratieris altissimo: qui tibi contulit bona sua, & qui tibi virtutem aliquam præstitit, ne tibi sensualitas prævaleret. Non parcas voci tuæ, sed secundum possibilitatem tuam gratias age bonorum omnium largitori. O charissime, cogita quam innume-

numerabiles ſunt pauperes, qui ad delicias maximas reputaſſent, ſi habuiſſent tantummodo panem, quem tibi cum aliis cibariis Dominus miniſtravit. Ita enim veraciter debes cogitare, quòd Chriſtus eſt qui tibi dedit, imò plus quòd in menſa ipſe tibi ſervivit. Vide ergo cum quanta diſciplina, cum quanta reverentia, maturitate & tremore debes in menſa conſiſtere, ubi vides præſentialiter Deum tuum in propria perſona miniſtrare? o quam beatus eſſes, ſi tibi de ſuper daretur mentalibus oculis iſta conſpicere. Videres enim Sanctorum multitudinem copioſam cum Chriſto per totum refectorium diſcurrere.

De modo perſeverandi in ſobrietate & abſtinentia.

CAPUT IX.

UT autem in tali modo ſobrietatis & abſtinentiæ jugiter in ti-

more, & à Deo totaliter recognosce, & ab ipso perseverantiam pete. Et si non vis corruere, noli alios judicare, nec contra eos indignationis Spiritu movearis, si eos vides in edendo debitum ordinem non servare, sed eis compatiaris ex corde & eos in corde tuo quantum potes excusa, cogitando quod tu non potes aliquid, nec ipsi possunt, nisi quantum Christus porrigit manum suam, qui non pro meritis tribuit, sed pro suæ beneplacito voluntatis. Si hæc cogitaveris firmus eris. Nam quæ est causa quod multi quandoq; incipiunt multa facere in abstinentia, & in aliis, qui non perseverant corpore torpente, & Spiritu frigescente? certe nulla alia nisi propter eorum elationem & præsumptionem, dum de se presumentes aliis indignantur, eos in cordibus suis judicando. Et ideo DEUS subtrahit ab

eis

eis donum ſuum, & vel Spiritu frigeſcunt, vel ex indiſcretionis vitio plus facientes quam oporteret, in infirmitatem incurrunt, & ſic tandem dum ad reſtaurationem corporis intendunt, in hoc quoq; metas excedunt efficiunturque guloſi pluſquam alii quos primitus judicabant, ſicut ego de quibuſdam cognovi. Nam iſtud communiter accidit, quod quicunque alium in aliquo judicat, Deus tandem permittit in illum defectum cadere vel majorem. Ergo ſervias in timore. Et quandocunque te ſentis in exaltatione, ob memoriã beneficiorum, quæ tibi donat altiſſimus apprehende diſciplinam increpationis & propriæ reprehenſionis, ne quando iraſcatur tibi Dominus, & pereas de via juſta : ſi ſic feceris, ſtabilis permanebis. Ecce indicavi tibi modum altiſſimo gratum, contra gulæ dominium, ad quem pauci per-

tingunt qui non excedant, vel plus, vel minus edendo, vel debitas circumſtantias non ſervando.

De modo habendo in ſomno & vigilia.

CAPUT X.

POſt hoc nitaris circa ſomnum & vigilias modum debitum cuſtodire, in quo valde difficile eſt habere menſuram. Ubi nota quod ſunt, in quibus ſpecialiter imminet periculum corpori, & per conſequens animæ, ſi diſcretionis limites excedant, ſcilicet: in nimia abſtinentia, & in vigilia inordinata. Nam in aliis virtutum exercitiis, non ſic eſt periculum in exceſſu. Et propter hoc diabolus habet iſtam aſtutiam finaliter, quod ſi videt hominem ſpiritu ferventem, immittit illi ſuggeſtiones, ut faciat abſtinentias & vigilias magnas, & per hoc inducat eum in tantam corporis debilitatem quod infirmetur & debilitetur, & quod ulterius

terius ad nihil valeat, imò, ut supra dixi, ut plus postea comedat, & dormiat quàm alii. Et talis numquam audet assumere exercitium in vigiliis & abstinentiis, recognoscens se per talia infirmitatem incurrisse, sibi diabolo suggerente & dicente, non facias talia, nescis quod ob talia fuisti infirmus, cum tamen non fuerit per vigilias & abstinentiam infirmatus, sed quia in his discretionis tramitem non servavit: Unde homo simplex non intelligit sophismata diabolica, quibus ex utraque parte decipitur, unde sub colore boni ipsi dicit: Tu fecisti tot peccata, quando poteris satisfacere? Vel si non fecit peccata enormia, dicit ei: O quanta passi sunt martyres & eremitæ. Et credit simplex homo quod cum talia habeant speciem boni, non possint esse nisi à Deo, & Deo permittente. Hoc fit maxi-

maximè quando talis primo cum magna humilitate & tremore, & cum instantia orationum non reccurrit ad Deum, qui eum illuminaret, & dirigeret, quando non reperiret hominem directorem. Homo enim qui sub obedientia sancta consistit, & continue regula directionis dirigitur & instruitur, à talibus deceptionibus tutus est, etiam si ipse Pater spiritualis aliquando aliqualiter erraret. Deus enim propter humilitatem obedientiæ totum sibi disponit ad bonum, sicut probari posset multis aurhoritatibus & exemplis. Itaque circa somnum & vigilias, talis modus poterit observari. Ut scilicet tempore æstivo post prandium campana pro silentio est pulsata, quieti membra componas. Etenim illud tempus ad spiritualia exercitia minus aptum est, & per hoc in nocte amplius poteris vigilare. Hoc

tamen

tamen generaliter debes obſervare: quotieſcumq; vis dormire, ut ſemper vel pſalmos rumines, vel ſpirituale aliquid mediteris, quod etiam ſomnum intercipiat, & quandoque tibi in imaginatione præſentetur. In ſero hoc communiter habeas, ut non multum vigiles. Nam per vigiliam ſerotinam impeditur attentio, & devotio in matutinali officio. Eſt enim communiter talis ſomnolentus, gravis & indevotus quando nimis vigilat in ſero, imò aliquando ex toto à matutinali officio cogetur remanere. Igitur ſtatue tibi aliquas breves orationes, vel aliquam lectionem, vel meditationem, quibus in ſero antequam dormias breviter occuperis. Et inter illas meditationes ſi in hoc fertur tua devotio, poteſt tua mens ferri ad ea quæ in paſſione Domini illa hora contigerunt, & ſimiliter faciendo in omnibus aliis

 horis,

horis, juxta modum quem habes à S. Bernardo traditum, vel prout tibi Dominus inſpiraverit. Non enim eſt omnium devotio uniformis, ſed alius plus alio excitatur. Aliis enim ſufficit in ſua ſimplicitate in foraminibus habitare. Nullus tamen quantumcunq; pollens ingenio, debet omittere ea quæ poſſunt eum ad devotionem excitare, imò quæ legit vel ſtudet, debet ad Chriſtum reflectere cum ipſo loquendo, & ab ipſo intelligentiam poſtulando. Sæpe dum actu ſtudet, à libro debet ad horam oculos avertere, & oculis clauſis ſe in Chriſti plagis abſcondere & iterato ſe ad librum convertere. Etiam quando debet à ſtudio ſurgere, debet in cælum flexis genibus aliquam ignitam orationem cum brevitate ad Deum fundere, vel etiam quando vult cellam egredi, & Eccleſiam, clauſtrum, vel capi-

tulum circumire, ſecundum quod impetus ſpiritus confert, & aliquando oratione formata vel informi, per gemitus & ſuſpiria de ebullitione cordis divinum auxilium implorando, vota ſua & deſideria altiſſimo præſentando, ſanctorum ad hæc auxilium implorando. Et illud negotium quandoque agitur ſine pſalmis, & ſine quibuſcunque orationibus exterius formatis verbo, quamvis hoc aliquando initium ſumpſerit vel ex aliquo verſu pſalmi, vel alterius ſcripturæ, ſive alicujus ſancti, nobis interdum Deo inſpirante interius proprio deſiderio vel cogitatu adinventum. Cùm autem ille fervor ſpiritu, tranſierit, qui communiter parum durat, potes ad memoriam revocare, quæ paulo ante ſtudueras, & tunc dabitur tibi clarior intellectus: quo facto iterato ad ſtudium redeas, vel ad lectio-

ctionem & iterato ad orationem, & ſic alternando commutes. Nam per hujuſcemodi commutationem, in oratione majorem repeties devotionem, & in ſtudio intelligentiam clariorem. Iſte autem fervor devotionis poſt ſtudium lectionis, licet quacunque hora indifferenter veniat ſecundum quod ille dignatur immittere, qui ſvaviter diſponit omnia prout vult, tamen communiter poſt matutinas amplius evenire conſvevit. Et ideo in ſero parum vigiles, ut totum ſpiritum poſt matutinas in ſtudio & oratione valeas occupare. Igitur in nocte dum audis horologium, vel quodcunque ſignum ſtatim excuſſa omni pigritia à ſtrato diſcedas, ac ſi ibi eſſet ignis accenſſus & flexis genibus cum fervore aliquam orationem effundas, ſaltem Ave Maria, vel aliud in quo animus tuus magis inflammatur, Ubi ñota, quod

ad hoc ut faciliter & ſine moleſtia, imò cum quadam alacritate ſurgas. multum facit ſi ſupra ſtratum durum dormias, & jaceas indutus. Hoc debet habere generaliter ſervus Dei, ut omnem mollitiem & complacentiam fugiat ita tamen quod diſcretionis limites non excedat. Habeas igitur de paleis, quæ quantò amplius expreſſione duriores extiterint, tanto gratiores debes habere, & ſuper ipſas ſufficiat tibi faſciatam ſeu coopertorium habere, pro tegumento autem contra frigus unam vel duas pro temporis diverſitate, ſecundum quod tua neceſſitas poſtulabit. Ad caput autem ſacculum plenum paleis habeas, & fugias molliciem pulvinaris, & ſimiliter omnes mollities alias aſſuetas, ſicut de ſudariis ſub maxilla vel ad collum, ſeu ad zonam, niſi fortè de nocte in æſtivo tempore pròpter ſudorem. Nam talibus

natu-

natura non indiget, ſed ſunt quædam malæ conſvetudines introductæ. Dormias etiam indutus, ſi ut de die, niſi quod ſotulares debes extrahere, & corrigiam relaxare. Potes tamen tempore æſtivo magni æſtus, cappam detrahere, & cum ſolo ſcapulari quieſcere. Si per iſtum modum dormias, non erit tibi moleſtum ſurgere, imò citò & cum alacritate conſurges. Dum igitur officium de Beata Virgine dicitur ſtans in oſtio cellæ tuæ non appodiatus, ſed ſuper pedes tuos cum omni attentione competenti voce diſtinctè & alacriter dicas officium Virginis glorioſæ. Et te ſic habeas quaſi eam cerneres corporalibus oculis coram te. Officio Virginis terminato, & completa corporis neceſſitate ad Eccleſiam vadas, vel ad clauſtrum prout majorem devotionem invenies. Ubi nota quod ſervus Dei eundo & redeundo

undo ad cellam, vel in quocunque alio loco non debet esse ociosus corde, sed vel psalmos, vel aliquid spirituale ruminare. Potes tamen ante inchoationem Officij, chorum intrare, & aliquid speciale præmeditari, ut devotius & attentius cum aliis psalmos valeas decantare. Pulsatis igitur matutinis, & factis veniis vel inclinationibus, psallendo sta super pedes tuos non appodiatus, sed corde & corpore sta viriliter coram Deo tuo & ipsius laudes cum omni alacritate decanta, recogitans quòd sine dubio Sancti Angeli sunt præsentes, in quorum conspectu psallens Deo eos debes continuè revereri: ut pote qui faciem Dei Patris, qui omnium creaturarum est Creator, in cælis vident, quam tu nondum nisi per speculum in ænigmate comtemplaris. Nunquam parcas voci quantum potes discretione

regen-

regente, non obmittas jota unum tam de psalmis, versibus, dictionibus, & syllabis, quàm de voce. Et si non potes æquali voce cum aliis, tamen cum voce submissa. Et si potes, psalmos & hymnos cantes, in libro, dum intellectum habes in psalmis & cæteris orationibus, ut consolationem spiritus reportes. Tunc oportet te esse sollicitum, ne in actu exteriori, scilicet in gestu corporis & sono vocis, specialiter aliquid appareat levitatis, sed tunc spiritualiter oportet te conservare mentem, & debitam gravitatem. Nam spiritualis lætitia in quandam convertitur levitatem, nisi fræno discretionis actus comprimatur extrinsecus: conatu tuo facias, ut psallas spiritu & mente. Nam magnus labor est homini, præcipuè incipienti, nondum in Deo roborato, tempore psalmodiæ mentem ab evagatione constrin-

ſtringere. Semper in choro teneas locum tuum, & communitèr te ponas in uno loco, niſi fortè alius veniret. Si in choro prævideris aliquem defectum, per te vel per alium ſtudeas implere. Unde nota, quòd Deus gratum haberet ſi pridie prævideres rubricas, & omnia dicenda in choro, & paratus eſſes ad omnes defectus & negligentias aliorum ſupplendas. Sed caveas quòd dum in choro eſt aliqua controverſia eorum quæ ſunt dicenda vel cantanda, ne tu os tuum aperias, etiam ſi certus eſſes de eo quod dicendum eſſet. Sed multi quandoque pro uno modico multum litigant. Minus malũ eſſet errare quã litigare. Si autem unico verbo poſſes errorem chori corrigere, tunc facere debes ſpecialiter ſi tu es de provectioribus in choro. Si autem te vides ſpiritu impátientiæ agitari, melius eſt quod

quod tu studeas motum animi tui subjugare. Si autem aliquis malè legit vel cantat, vel quocunque modo ineptè se habet, non submurmures vel corrigas. Est enim species cujusdam jactantiæ talis correctio. Idem in lectione quantumcunque quis malè & ineptè legat, nec etiam aliquod signum faciat: quia hoc est signum mentis vento elationis inflatæ. Quando multi subito currunt ad aliquem defectum supplendum, non te ingeras. Si autem nullus esset supplens: tunc cum omni modestia ad supplendum occurras: sed si potes, taliter defectum anticipes, ne valeat deprehendi. Cave tamen ne duas lectiones immediate legas, vel duo responsoria, nisi tantus esset defectus, & maxime ubi est multitudo fratrum. Item non de facili te ingeras si juvenis es, ad dicenda ea quæ pertinent ad antiquos. Non

circun-

circunferas oculos vel hinc inde, nec aliquem videas quid faciat, quomodo se habeat, sed oculis in terram demissis, vel sursum erectis, vel clausis, vel ad librum stes. Semper quando dicitur divinum officium, dum stas vel sedes, non teneas manus sub mento, sed sub cappa, vel scapulari, ubi condecens est semper cappam habere. Non teneas unum pedem super alium, vel tibias divaricatas sed cum omni modestia: ut qui es in præsentia Dei tui. Caveas ne digitos teneas in naribus, sunt enim aliqui qui in hoc & talibus miseriis, non sine diaboli stimulatione occupantur, divertentes à divino officio & indevotionem non modicam ostendentes. Multi tales actus particulares occurrunt, qui non possunt exprimi: sed si humilitatem habueris. & integram charitatem, de omnibus unctio te docebit. Tu qui

legis

legis attende, quia cum hic ponantur multi actus, qui ad omnem circunstantiam variantur, non propter hoc ista improbes, si aliquando aliter fieri oporteret, sicut de loquendo in choro cum error apparet: quia ad antiqvum bene pertinet emendare. Generaliter tamen verum est, quòd servum Dei litigare non decet: minus malum est patienter tolerare errorem, quàm contentionibus deservire; quantò magis in choro ubi tales contentiones scandalosæ, attentionis ac tranquillitatis mentis sunt conturbativæ? Similiter cum dico quòd semper legat, vel cantet in choro. Qandoque enim posset oriri talis in mente devotio, quæ ex cantu impediretur, quòd melius esset apud se dicere officium, præcipuè ubi alij essent qui sufficerent ad cantandum, & sic de multis aliis, prout melius docebit altissimus, si con-

temptis omnibus ei corde ſimplici volueris adhærere. Non enim debet ſibi quiſque faciliter credere, ut oppoſitum faciat, niſi longo virtutum exercitio diſcretionis ſpiritum ſit adeptus.

De modo prædicandi.

CAPUT XI.

IN prædicationibus & exhortationibus utere eloquio ſimplici, & confabulatione domeſtica, ad declarationem actuum particularium. Et quantum potes, inſiſte cum exemplis, ut quilibet peccator habens illud peccatum videatur percuti, ac ſi illi ſoli prædicares, taliter tamen quòd verba videantur ab animo procedere, non ſuperbo vel indignanti, ſed magis ex viſceribus charitatis & pietatis paternæ ſicut Pater condolet, peccantibus filiis, vel infirmitate gravi, vel fovea grandi jacentibus, quos nititur extrahere & libera-

berare & fovere sicut Mater, & sicut qui gaudet de profectu eorum, & de gloria paradisi sperata. Talis enim modus consvevit esse proficuus audientibus. Nam de virtutibus & vitiis locutio generalis parum excitat audientes. Item in confessionibus, ut sive blandè tractes pusillanimes, sive terreas induratos, semper viscera charitatis ostendas: ut semper peccator sentiat, quod verba tua ex pura charitate descendant. Et ideo charitativa verba & dulcia semper pungitiva præcedant. Tu itaque qui desideras proximorum Animabus esse utilis. I. ad Deum ex toto corde recurre, & ab eo simpliciter postula, ut tibi illam charitatem largiri dignetur, in qua est summa virtutum, per quam possis perficere quod optas.

Remedia contra tentationes aliquas Spirituales.

CAPUT XII.

AD honorem JESU dicam Tibi remedia contra aliquas tentationes ſpirituales, quæ in iſto tempore abundant in terra, ad purgandum & probandum electos. Quæ quamvis expreſſè & manifeſtè non ſint de aliquo principali articulo fidei, tamen qui bene reſpicit, cognoſcit quòd ſunt in periculo deſtructionis principalium articulorum fidei, & quòd præparent cathedram & ſedem antichriſto. Quas tentationes nolo exprimere: non enim ponam materiam & occaſionem ſcandali, ſeu offendiculum & imperfectionem, ſed monſtrabo tibi per quã ſpiritualem diſcretionem debes te regere, ſi non vis eſſe victus à prædictis tentationibus. Et quia prædictæ tentationes veniunt duobus

modis,

modis, primò quidem per suggestionem & illusionem diaboli, qui decipit hominem in regimine quod deberet habere erga Deum, & in hoc quod est Dei: secundo per corruptam doctrinam aliquorum, & eorum modum vivendi, qui jam venerunt in prædictas tentationes. Propter hoc volo tibi dicere, quod regimen debes habere erga Deum, & illud quod est Dei, si vis esse immunis à prædictis tentationibus: & post quomodo debes regi erga alios quantum ad doctrinam & modum vivendi eorum. Primum ergo remedium contra tentationes spirituales hujus temporis quas procurat diabolus in cordibus aliquorum, est quod illi qui volunt se subdere Deo, non desiderent per orationem vel contemplationem, vel per alia opera perfectionis, visiones, vel revelationes, vel sentimenta, quæ sunt supra naturam,

turam, & ſupra omnem curſum eorum qui diligunt Deum & timent per veriſſimum amorem: quia prædictum deſiderium non poteſt eſſe ſine radice & fundamento ſuperbiæ & præſumptionis, vel intentionis alicujus vanæ curioſitatis circa Deum, vel ſine fragilitate fidei. Et per hunc defectũ juſtitia Dei dimittit animam, quæ habet ante dictum deſiderium, & permittit eam venire in talem illuſionem & tentationem diaboli per falſas viſiones & revelationes, & falſas ſeductiones, per quem modum ſeminat majorem partem tentationum ſpiritualium hujus temporis, & radicat eas in cordibus illorum qui ſunt nuncij antichriſti, ſecundum quod poteris videre per ſubſequentia. Debes enim ſcire, quod veræ revelationes & ſentimenta ſpiritualia ſecretorum Dei, non veniunt per antedictum deſiderium,

neque per aliquem conatum, ſeu ſtu-
dium quod Anima habeat in ſe, ſed
tantum veniunt pura bonitate Dei
in Animam, quæ eſt in magna hu-
militate & in magno deſiderio Dei
& reverentia. Nec etiam exercites
ſe in magna humilitate & timore
Dei propter hoc ut homo habeat vi-
ſiones & revelationes & ſentimen-
ta ſupradicta: quia in idem delictum
caderes in quo per ſupradictum de-
ſiderium. Secundum remedium eſt,
quod in Anima tua in tua oratione
vel contemplatione non ſuſtineas ali-
quam conſolationem vel parvam ex
quo tibi videretur quod fundaret ſe
in præſumptione & æſtimatione tui
ipſius, & poſtquam ducit in abuſio-
nem proprii honoris, & reputatio-
nem, & ex quo ſuggerit menti tuæ
dignum eſſe: vel hujus vitæ gloriæ
& laudis, vel Paradiſi, quia ſcias
quod Anima quæ ſentit ſe in tali
conſo-

conſolatione, venit & incurrit in plures malos errores, quia Dominus per ſuum juſtum judicium permittit poteſtatem diabolo augmentandi prædictam conſolationem, & accelerandi, & imprimendi in illa Anima falſiſſima & periculoſiſſima ſentimenta, & alias illuſiones quas conſolationes credit & putat eſſe veras. Heu heu DEUS meus quot perſonæ ſunt deceptæ per iſtum modum? ſcio pro certo quod major pars raptuum imo rabierum nuntiorum antichriſti venit per iſtum modum. Et propter hæc cave ne in tua oratione vel contemplatione ſuſtineas aliquam conſolationem, niſi illam quæ venit per perfectam notitiam & completum ſentimentum tuæ humilitatis, & imperfectionis, & quæ facit perſeverare dictam notitiam & antedictum ſentimentum in te, & in magnitudinem & altitu-

dinem Dei per altam reverentiam & cum magno desiderio honoris Dei & gloriæ, & quod antedicta consolatio fundetur in prædictis. Tertium remedium est, quod omne sentimentum & quantumcunq; altum & omnis visio quantumcunque sit secreta, & secreto tibi appareat, quæcunque sit ex quo ducit cor tuum ad opinionē vel infectionem contra aliquem articulum fidei, vel contra bonos mores, & maximè contra humilitatem, vel contra honestatem, exhorrescas, quia sine dubio ex parte diaboli venit: & si appareret tibi aliqua visio sine lumine & sentimento de quo sis certus quod venit ex parte Dei & propter quam sis certificatus in corde tuo, quod illud quod inducit visio, est Deo placitum noli te firmare in dicta visione. Quartum remedium est, quod nec propter magnam devotionem,

nec propter magnam vitam, nec propter clarum intellectum, nec propter aliquam sufficientiam aliam quam vides in aliqua persona vel aliquibus personis, noli sequi eorum consilia, nec eorum modos, ex quo cognoscis clarè & multum rationabiliter, quod eorum consilia non sunt secundum Deum & veram discretionem, & per vitam JESU Christi & Sanctorum monstratam, & per sanctam scripturam in dictis Sanctorum prædicatam & notificatam. Et propter hoc non timeas, quod spernendo talia consilia eorũ pecces per superbiam & præsumptionem, dum hoc facis propter zelum & amorem veritatis. Quintum remedium est: quod fugias, & vites familiaritates & societates illorum, qui vel quæ dictas tentationes seminant, diffundunt, & vites illas personas quæ sustinent & lau-

dant eas, & noli audire eorum verba, nec collationes eorum, nec modos eorum velis videre quia tibi dæmon ſubminiſtrabit & oſtendet magnum ſignum perfectionis in pluribus eorum verbis & modis quæ ſi velis accipere, & illis credere, venires & rueres in pericula, ruinas & præcipitia errorum illorum.

Remedia contra inanes revelationes

CAPUT XIII.

POſt hæc dicam tibi aliqua remedia, quæ debes attendere circa perſonas, quæ ſeminant dictas tentationes per ſuam vitam & doctrinam. Primum eſt quod non habeas magnam æſtimationem viſionum earum & ſentimentorum, nec raptuū: imò ſi dicerent tibi aliquid quod ſit contra fidem & contra ſacram ſcripturam, aut contra bonos mores, abhorreas earum viſionem & ſen-

timen-

timenta, tamquam ſtultas dementias, & earum raptus ſicut rabiamenta. Tamen ſi dicant ſive judicent in hoc quod eſt ſecundum fidem & ſanctam ſcripturam, & ſecundum ſanctos & bonos mores, noli ſpernere: quoniam ſperneres quod eſt Dei, tamen non confidas totaliter: quia ſæpe & maximè in tentationibus ſpiritualibus falſitas inducitur ſeu abſconditur ſub ſimilitudine boni, ut diabolus poſſit ſæpè & melius mortale venenum ſine ſuſpitione diffundere. Et ideò credo quòd plus placet Deo quod viſiones & ſentimenta & raptus qui ſecundum quod dictum eſt, habent ſimilitudinem veritatis & bonitatis, dimittas ire pro tanto quantum valent, niſi contingant aliquibus perſonis ratione ſanctitatis & diſcretionis, ac eorum humili probitate, de quibus certum eſt quod prædictæ perſonæ non poſ-

ſunt decipi per illuſiones, nec per ingenium diaboli. Et tunc quamvis ſit pium viſionibus & ſentimentis, tantarum perſonarum conſentire, tamen ſecurum eſt, non totaliter credere in eis ratione ſui, per rationem prædictam, ſed quantum concors cum fide Catholica & ſacra Scriptura, & bonis moribus, & verbis ſanctis, ac doctrina ſanctorum. Secundum remedium eſt, quòd ſi per revelationem vel ſentimentum, vel alium modum cor tuum moveantur ad faciendum aliquod opus, & maxime opus grave & notabile non tibi conſvetum, de quo non habeas certitudinem, an Deo placeat; imò dubitas rationabiliter, contrahas moram ad faciendum dictum opus uſquequo inſpexeris omnes circunſtatias, & maximè finales, & cognoſcas quòd Deo placet, non tamen quòd tu judices

per

per tuam opinionem, ſed ſi potes per teſtimonium ſacræ ſcripturæ, vel exemplum imitabile ſanctorum Patrum. Et dico exemplum imitabile, ſecundum Beatum Gregorium aliqui ſancti fecere aliqua opera quæ non debemus imitari, quamvis bona eſſent in eis, ſed debemus ea habere in admiratione & reverentia. Et ſi per temetipſum non potes venire in notitiam, an placeat Deo: petas conſilium à perſonis approbatis in vita & doctrina, & conſilium totius veritatis. Tertium remedium eſt, quòd ſi tu es immunis à prædictis, ſic quòd nunquam habueris, vel quòd quantumcunque habueris, fueris liberatus ab eis, dirige cor tuum & intellectum ad Deum, recognoſcendo humiliter gratiam Dei tibi factam, & eidem in corde multoties, imò indeſinenter regratieris ſuper hoc, & caveas tibi ne hoc quod

habes per puram gratiam & bonitatem Dei, velis attribuere virtuti vel ſapientiæ tuæ, vel merito tuo, ſive tuis moribus, neque quod fuit factum à caſu ſive à fortuna, quia ſecundum quòd dicunt ſancti, hoc eſt principalius per quòd Deus beneficium ſuæ gratiæ aufert & ſubtrahit homini, & permittit eum ſubjici tentationibus & illuſionibus diaboli. Quartum remedium eſt, quod te exiſtente, ſeu corde tuo in tentatione ſpirituali per quam es in dubio, non incipias ex tua propria voluntate aliquid notabile tibi ante inconſvetum, ſed cor tuum refrænando & voluntatem expectes humiliter, & cum tremore & reverentia Dei, uſquequo Deus cor tuū clarificet? quia ſcias pro certo quòd ſi exiſtendo in dicto dubio, ex tua propria voluntate inciperes aliquid notabile inconſvetum tibi, non poſ-
ſes

ſes exire ad bonum finem. Et intendo dicere de incipiendo opera notabilia & inconſveta ſuper quæ eſt dubium ante dictum. Qvintum remedium eſt, quòd propter antedictas tentationes, ſi eas habeas, non dimittas aliquod bonum, quod incepiſti, dum non eras in tentationibus ante dictis. Et maximé non debes dimittere orare nec confiteri, nec communicare, nec jejunare, nec opera pietatis & humilitatis, licet conſolationem non inverias in operibus ante dictis. Sextum remedium eſt, quod ſi tentationes antedictas habeas: leva cor tuum & intellectũ ad Deum, quærendo humiliter hoc quod ei honorabilius & tuæ animæ ſalubrius erit ſuper tentatione, ſubjiciendo tuam voluntatem voluntati divinæ: quod ſi ſibi placet, quod perſeveres in illis tentationibus; ſimiliter tibi placeat, ut Deum non offendas.

De rationibus excitatoriis ad perfectionem.

CAPUT XIV.

QUia placet mihi multum de hoc quod cæpisti bonum ad honorem Dei, & desidero non solum, quod perseveres, quinimo ut ascendas ad majora opera virtutum vel saltem desideres: idcirco scribo tibi aliquas rationes, unde poteris cor tuum excitare & movere ad majores perfectiones omnimodæ virtutis, quam non incæpisti, nec poteris servare per propriam virtutem. Prima ratio est: quia si inspicias quantum Deus est dignus amari & honorari secundum suam bonitatem & sapientiam, & alias suas perfectiones, quæ sunt in eo sine numero & sine termino, videbis, quod hoc, quod credidisti multum & magnum ad honorem

rem Dei & ſecundum bonitatem ſuam eſt minimum & quaſi nihil in reſpectu ejus quòd deberes eſſe, ſecundum quòd Deus eſt dignus. Iſtam rationem idcirco pono primam: quia principaliter debemus attendere in omnib9 operib9 noſtris honorem & reverentiam & amorem Dei: quia ſeipſo eſt dignus amari per omnem creaturā. Secunda ratio eſt, quòd attendas ſi deſpectus & vituperia, egeſtates & dolores & paſſionem, quam tam amare ſuſtinuit Filius Dei propter amorem tui, & ut in hoc ames & honores eum, cognoſces, quòd parum eſt, quod feciſti ad Deum amandum & honorandum ſecundum quòd facere deberes. Iſta ratio altior eſt & perfectior quā ſequentes: & ideo pono eam ſecundam. Tertia ratio eſt, quod

ſi co-

ſi cogites innocentiam & perfe-ctionem, quam debes habere ſe-cundum mandatum Dei, per quod teneris eſſe abſque omni vitio, & ſine omni culpa, & in plenitudine virtutis totius, ſicut eſt quod debes amare Deum ex toto corde tuo, & ex omni mente tua, & totis viribus tuis, videbis manifeſte infirmitatem tuã & diſtantiam, in qua es à prædicta innocentia & perfectione. Quarta ratio eſt: quia ſi cogitas multitudinem & largitatem beneficiorum Dei, gratiarum corporalium & ſpiritualium, quæ tibi & aliis, vel quæ ſingulariter tibi ſunt datæ, ſenties quod hoc, quod facis, & potes facere propter Deum, eſt nihil ad dicta beneficia recompenſanda & gratias Dei: & maxime ſi ejus liberalitatem attendas & bonitatem.

Quin-

Quinta ratio est, quia si cogitas altitudinem & nobilitatem remunerationis, & gloriæ promissæ & paratæ illis, qui faciunt opera virtutum ad honorem Dei: quoniam gloria tanto major erit, quanto opera erunt virtuosiora, & majora; cognosces pro certo tuum meritum esse nihil comparatione tantæ gloriæ: & desiderabis facere opera virtuosa, plusquam ante feceras. Sexta ratio est: quia si attendam pulchritudinem & generositatem, quam habent virtutes in se, & nobilitatem quam recipit anima per supradictas virtutes: & si attendas ad vilitatem & turpitudinem quam habent vitia & peccata, conaberis, si sapiens fueris ad amplius acquirendum virtutes, & amplius fugiendum vitia & peccata, Septima ratio est, si atten-

tendas altidinem & perfectionē vitæ Sanctorum Patrum, & eorū multas & perfectas virtutes, cognoſces imperfectionem & infirmitatem vitæ tuæ, & tuorum operum. Octava ratio eſt, quia ſi cognoſceres magniludinē peccatorum, & multitudinem offenſarum, quæ feciſti contra Deum, cognoſces quia opera tua, quæ facis, quantumcunque bona ſint, nihil ſint ad ſatisfactionem per viam juſtitiæ de offenſis Dei. Nona ratio eſt: quia ſi ſpeculeris univerſitatē, & pericula tentationum carnis & mundi & diaboli, conaberis ad aſſumendum majorem firmitatem & majorem altitudinem in omni virtute quā feceris unquam: ut poſſis in majori ſecuritate perſiſtere contra dictas tentationes. Decima ratio eſt: quia ſi cogites diſtrictum judi-

judicium Dei finale, & cum apparatu bonorum operum & cum satisfactione de offensis Dei, & quod debeas venire ad dictum judicium: videbis quod parum est, quòd fecisti per bona opera & pænitentiam secundum, quòd facere debuisses. Undecima ratio est: quia si tu cognosceres brevitatem vitæ tuæ, & vanitatem tuæ mortis, postquam non habebis spacium faciendi opera meritoria, neque pænitẽntiam: cognosces quod cum majori corde & studio deberes facere bona opera, & pænitentiam, quam tu facis. Duodecima ratio est: quia si animadvertas, qualitercumque incipias bonam vitam, in quovis gradu sine conamine & desiderio ad majorem perfectionem ascendendi, & ad altiorem vitam non posse esse sine fun-

fundamento præsumptionis & superbiæ hujus, quod incepisti: nec sine inclusione magnæ tepiditatis & negligentiæ, ex quo hæc duo mala includuntur, non potest esse sine magno periculo vivendi in multis vitiis spiritualibus secundum quod monstrare tibi possem: sed nimis esset longum ad scribendum per litteras: non dubito quin si velis dictorum malorum esse liber, & immunis quod quantumcunque altam vitam incœperis, tu adhuc conaberis in altiori & perfectiori vita esse. Bernardus super Psalmum: Qui habitat in adjutorio altissimi: loquens de illis, qui sunt fervidi in principio, & postea credentes se aliquid esse tepescunt. O inquit si scires quã parvum est quod habes, & hoc ipsum quam cito perdes, si non

serva-

servaverit, qui dedit. Decima tertia ratio est: quia si cogitas abyssalia judicia Dei facta super aliquos qui diu perseverant in magna sanctitate & in magna perfectione, quod Deus deseruerit eos propter aliqua oculta vitia quæ non credebant habere: non dubito quin quantumcunque altam vitam incæperis omni die levabis tuas affectiones & tentationes deserendo omne vitium plusquam feceras ante appropinquando te ad perfectam & integram sanctitatem, timendo ne forte in te sit vitium aliquod ocultum, propter quod merearis à Deo deseri. Decima quarta ratio est: quia si cogites pænas infernales damnatorum, paratas cunctis peccatoribus, credo quod levis erit tibi omnis pænitentia, humilitas, paupertas,

& omnis labor, quem in iſta vita poſſis ſuſtinere propter Deũ, ut evadas pænas ſupradictas: & conaberis continuò ad tenendũ altiorem & perfectiorem vitam: timendo periculum veniendi ad ſupradictas pænas.

Supradictarum rationum declaratio, & applicatio.

CAPUT XV.

PRædictas rationes plus in brevitate tetigi quam explicaverim: ut tu addiſcas in paucis magna cogitare: ſic quod quælibet ſit tibi materia altæ contemplationis & ſpatioſæ. Attamen ſcias, quod ſi velis proficere cum prædictis rationibus, debes formare non ſolum per intellectum, imò etiam eſt neceſſarium quod per certam affectionem moveas voluntatem tuam ad hoc, quod dictant dictæ rationes. Et ut melius

lius intelligas replicabo tibi ſub brevi memoria dictas rationes: oſtendendo tibi qualiter dictæ rationes non habent efficaciam in anima niſi formetur per affectionem & ſentimentum ſpirituale. I. enim ratio non habet vigorem niſi in anima, quæ habet magnum ſpiritum, & ſentit & contemplatur nobilitatem & perfectionem & dignitatem Dei & conatur ad amandum Deum & honorandum in omnibus, ſecundum quod Deus eſt dignus. II. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ cordialem devotionem ſentit in ſpiritu & charitatem & bonitatem Filii Dei, quam nobis monſtravit in ſua propria paſſione propter nos accepta: ſic quod anima deſideret totis ſuis viribus facere recompenſationem Deo, de bonitate &

de

de charitate ostensa in passione. III. ratio non proficit nisi in anima, quæ sentit altitudinem perfectionis, quam requirit Dominus & præcipit esse in creatura: quæ profunda ratione mandatũ Dei conatur adimplere, & cum magna voluntate venire in dictam perfectionem. IV. ratio solum locũ habet in anima, quæ per intellectus affectionem recogitat magnitudinem & nobilitatem beneficiorum Dei & gratiã ipsius: & quæ conatur rependere Deo servitium debitum secũdum beneficia recepta. V. ratio habet valorem tantum in anima, quæ habet in æstimatione & ferventi amore gloriam promissam in Paradiso, & quæ habet firmã fidem & spem veniendi ad illam gloriam per bona opera virtutum: sic quod cum dictis operibus

bus conetur venire ad illam gloriam ſupradictam. VI. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ habet in horrore omnia vitia, & peccata in abominatione: & in magna complacentia & amore perfectionem virtutum & gratiæ Dei: & hoc cum magno exceſſu & altitudine. VII. ratio habet ſolum virtutem in anima quæ habet in magna æſtimatione vitas Sanctorum cum deſiderio imitandi. Et maxime intendo dicere perfecte & perfectorum ſicut eſt Virgo Maria principaliter, Joannes Baptiſta, Joannes Evangeliſta & omnes Apoſtoli, & ſic de aliis. VIII. ratio non proficit niſi in anima quæ aggravat offenſas contra ſe, quas fecit contra Deum, & quæ habet voluntatem magnam faciendi Deo juſtitiam, & ſatisfactio-

nem peccatorum suorum per bona opera & virtuosa. IX. ratio non habet locum nisi tantum in anima quæ sentit suam debilitatem & gravitatem: & periculum tentationũ, propter quod conatur ad fugiendum occasionem cadendi in tentationem, & ad veniendum in securitatem gratiæ Dei. X. ratio non habet locum nisi in anima, quæ cognoscit peccata sua: & habet timorem & tremorem cordialem sententiæ finalis judicij, quæ dabitur contra peccatores, qui non egerunt pænitentiam de peccatis suis. XI. ratio non habet locum nisi in anima, quæ habet timorẽ mortis, & habet magnum præparamentum faciendi opera meritoria. XII. ratio tantum proficit animæ, quæ sentit vel intelligit quod inchoare bonam vitam

tam ſine conamine & deſiderio altiorem vitam aſſumendi non poteſt eſſe ſine incluſione prædictorum vitiorum: & ſine periculo grandium malorum ejus, quæ non vult fugere dicta vitia & pericula. XIII. ratio non habet efficaciam, niſi in anima, quæ ſumme curat de ſua ſalute, & timet ſeparationem à gratia. XIV. ratio non habet efficaciam niſi in anima, quæ timet de pænis damnatorum: ſentiendo quod digna eſt, venire in pænas ſupra dictas propter offenſas quas commiſit contra Deum: & quæ vult & conatur vitare pænas antedictas per ſatisfactionem pænitentiæ. Et nota, quod concluſio & finis cujuslibet rationis debet eſſe in duobus. Primo in ſentimēto propriæ imperfectionis & nihilitatis. Deinde in deſiderio &

conamine veniendi in altiorem vitam, sic quod non sit sentimentum propriæ imperfectionis annihilationis sine desiderio conamine majoris perfectionis vitæ altioris nec è converso.

Remedia ad fugiendos laqueos, & tentationes diaboli.

CAPUT XVI.

QUi vult fugere atque evadere laqueos atque tentationes Antichristi seu diaboli finales debet habere in proprio sentimento sui duo. Primo quod sentiat de seipso sicut de uno corpore mortuo pleno vermibus, & male olenti: & sicut de cadavere quod dedignantur videre intuentes: imo superclauduntur nares propter ejus pessimum odorem & fætorem, & avertuntur facies, ut non videant talem & tantam abominationem. Sic

opor-

oportet cariſſime facere ſemper mihi & tibi: ſed plus mihi quia tota vita mea fætida eſt: totus fætidus ſum & corpus meum, & anima mea, & omnia quæ intra me ſunt fæce & putredine peccatorum, & iniquitatum fœdiſſima & abominabiliſſima ſunt: & quod deterius eſt quotidie hunc fætorem in me ſentio recentius & copioſius renovari. Et debet talem fætorem de ſeipſa ſentire fidelis anima cum maxima verecundia coram Deo, ſicut coram illo qui omnia videt: & ſicut ſi eſſet coram diſtricto judicio, & dolere maxime de offenſa Dei, & perditione gratiæ animæ, in qua erat, quando redempta fuit pretioſiſſimo Chriſti Sangvine; & abluta per Baptiſmum. Et ſicut ſibi & Deo fætere ſe credit & ſentit, ſic etiam credat & ſentiat

quod non ſolum coram Angelis
& Sanctis Animabus, ſed etiam
coram omnibus hominibus vi-
ventibus ſit abominabilis & fœ-
tidus, & quod facta & dicta ſua
non ſolum homines videre & au-
dire dedignantur, ſed quod na-
res ſuas claudant & avertant fa-
cies ſuas ne ipſum videant, &
tanquam fœtidum cadaver de
medio ſui expellant & ſit ab eis
alienatus & ſeparatus projectus
ſicut pluſquam leproſus, uſque
quo veniat, & reveniat ad ſeipſũ.
Et ſi quis de eo juſtitiam face-
ret, & de corpore ſuo ſentiat
quod juſtum eſt, & ita credat e-
tiam ſi ſibi oculi eruerentur, trũ-
carentur manus, abſcinderentur,
aures & os, & ſic de aliis ſenſi-
bus corporalibus & membris,
quia cum his omnibus Deum
offendit & creatorem. Item quod
deſpi-

deſpici deſideret & contemni & quod omnia vituperia: verecundias, diffamationes, injurias, blasphemias & omnia adverſa ſummo cum gaudio & lætitia recipiat & patienter ferat. Et oportet, quod diffidas de te ipſo totaliter: & de omnibus bonis tuis: & de tota vita tua, & convertas te totũ & reclines ſuper brachia Jeſu Chriſti pauperrimi & viliſſimi & improperati, deſpecti & mortui propter te: uſque quo tu ſis mortuus in omnibus ſentimentis tuis humanis: & Jeſus Chriſtus crucifixus vivat in corde tuo, & in tua anima, & totus transformatus & transfiguratus cordialiter ſentias in te, ut numquam videas nec ſentias, nec audias niſi ipſum ſolum ſtantem in cruce propter te mortuum & ſuſpenſum ad exemplum Virginis

Mariæ, & mortuus in mundo & vivens in fide. Et quod in illa fide vivat tota anima tua: usque ad resurrectionem, in qua Dominus immitet gaudium spirituale & donum Sancti Spiritus in animam tuam: & in illis personis in quibus debet renovari status Apostolorum & Ecclesiæ Sanctæ Dei, exercens te sanctis orationibus sive sanctis meditationibus & affectibus ad obtinenda dona virtutum, & gratiam Dei. Sed debes præcipue septiformi affectu exerceri ad Dominum, scilicet amore ardentissimo, timore summo, honore debito, zelo constantissimo, & illis debet adjungi gratiarum actio & vox laudis, omnimodæ obedientiæ promptitudo, & svavitatis divinæ pro posse degustatio, ut pote dicendo: Bone JESU, fac

ut

ut totis medullis & mente te sũ-
me timeam, reverear & pro o-
mni honore tuo fortiſſime zeler,
ita quod omne tuum opprobriũ,
tanquam tuæ gloriæ zelotypus
vehementiſſime exhorreſcam &
potiſſime ſi in me, vel prò me
facta tibi ſint opprobria illa, Deus
meus. Da etiam ut te Dominum
tanquam tua creatura humiliter
adorem & recognoſcam & de o-
mnibus beneficijs à te mihi im-
penſis gratias ſemper agam: &
hoc cum ſumma gratitudine cor-
dis. Da etiam ut in omnibus
ſemper te benedicam, laudem
& magnificem: & hoc cum ſum-
mo jubilo & tripudio cordis &
tibi in omnibus obtemperans &
obediens ſemper reficiar dulcis-
ſima tua & ineffabili ſvavitate
cũ Sanctis tuis Angelis & Apoſto-
lis tuæ menſæ aſſiſtens, licet omni-

no indignus & ingratus. Qui cum Patre, &c: Debet etiam circa se ipsum se exercere alio septiformi affectu. 1. scilicet quod totus de suis vitijs & defectibus confundatur. 2. ut peccata sua tanquam offensiva Dei, & sui ipsius maculativa acutissimo & acerbissimo dolore plangat & deplorat. 3. humiliatio sui & conculcatio cum contemptu, ut scilicet totis viribus se sicut rem vilissimam & fœtidissimam spernat & contemni appetat ut dictum est. 4. rigore severissimo ut scilicet corpus suum asperrime maceret & macerari appetat tanquam peccatum fœtidum, imò tanquam latrinam & sentinam & tumulum omnium fœditatum. 5. ira implacabili contra omnia vitia sua, & contra radices & inclinationes vitiorum suorum.

6. per-

6. vigore pervigili & ſtrenuo, ut ſcilicet omnes ſenſus, actus, potentias ſuas ſemper cum quadam viriliſſima ſtrenuitate in omne bonum teneat pervigiles & attentos. 7. diſcretione perfectæ modeſtiæ ſeu moderantiæ, ut ſcilicet in omnibus diſtrictiſſime ſervet menſuram & modum, inter videlicet nimium & non ſatis, ut nihil ſit in eo ſuperfluum, nil diminutum aut defectivum: nec pluſquam debet, aut minus quam deceat.

De affectibus quibus nos exercere debemus circa proximum.

CAPUT XVII.

DEbet etiam circa proximum ſe exercere alio ſeptiformi affectu. Primo ſcilicet per piam compaſſionem, ut ſcilicet ita ſẽtiat aliorum mala & incommo-

da ſicut ſua. 2dô. Per dulcem congratulationem, ut ſcilicet de aliorum bonis lætetur ſicut de ſuis. 3tiô. Per tranquillam ſupportationem & condonationem, ut ſcilicet moleſtias & injurias ab aliis illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. 4tô. Per benignam affabilitatem, ut ſcilicet ſit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet & optet, & talem ſe exhibeat in geſtibus ſuis & verbis 5tô. per reverentiam humilem, ſcilicet ut omnes ſibi præferat, & omnes revereatur, & omnibꝰ ex corde ſe ſubdat tanquam Dominis ſuis. 6tô. Per concordiam unanimem, ut ſcilicet, quantum in ſe eſt, & quantũ ſecundũ Deum poteſt eſſe, unum ſentiat cum omnibus, & ita ſentiat ſe eſſe omnes, & illos ſe, & omnium re-

ctum

ctum velle pro ſuo reputet & e-
contra. 7mô. Per Chriſti formē
ſui pro omnibus oblationem, ſci-
licet ut ad inſtar Chriſti pro o-
mnium ſalute ſit paratus & ſoli-
citus ponere vitam ſuam, & die
noctuque orare & laborare, ut o-
mnes in Chriſto inviſcerentur, &
Chriſtus in eis. Sed tamen ne ex
hoc credatur quin vitia hominū
ſint pro toto poſſe cavenda & fu-
gienda: ſciendum quod quando-
cunque ex ſocietate malorum
hominum vel imperfectorum eſ-
ſet periculum vel occaſio retra-
hens, vel impediens à perfectio-
ne vel fervore prædictarum vir-
tutum, debes à talib9 ſicut à ſer-
pentibus vel draconib9 elongari.
Non enim eſt carbo ita ignitus,
quin in aqua frigeſcat, aut tepe-
ſcat: ſic econtra vix eſt carbo ita
frigidus, qui non acervo carbo-
num

num ardentium accendatur: alias ubi periculum hujusmodi non imminet, etiam mera simplicitate debes aliorum non videre defectus, aut si videas, per compassionem supportare. Ut autem utiliter ad temporalia & æterna te habeas perfectè, scito quod temporalia debes aspicere sub quadruplici sensu. 1mô. Scilicet ut tanquam peregrinus & advena sentias omnia ut extranea & aliena, in tantum, ut tua vestis tuo sit sensui ita extranea ac si esset in Hispania vel in India. 2dô. Ut in tuo usu abundantiam timeas ut venenum, & ut mare submergens. 3tiô. Ut in tuo usu omnem inopiam & egestatem sentias, quia ipsa est scala, per quam ascenditur ad Cælestes divitias & æternas. 4tô. Ut societatem, cōtubernium, & apparatum divitū

&

& magnatum fugias non ex contemptu tamen: & de ſocietate pauperum glorieris: & in memoria & aſpectu atque converſatione pauperum & defectuoſorum vel deſpectorum totus læteris: quaſi expreſſa imagine Chriſti, & eis quaſi regibus cum ſumma alacritate & jucunditate & reverentia aſſocieris.

De perfectionibus neceſſariis ſervienti DEO.

CAPUT XVIII.

QUindecim ſunt perfectiones neceſſariæ perſonæ quæ ſervit Deo in vita ſpirituali. Prima eſt clara & perfecta notitia ſuorum defectuum, & ſuarum infirmitatum. II. Eſt magna, & fervens impugnatio, contra malas inclinationes & contra ſuas voluntates ſeu paſſiones rationi repugnantes. III. Eſt timor magnus,

quē

quē habere debet quod de offensis hactenus factis contra Deū non est certus, an bene satisfecerit, nec si cum Deo fecerit pacem. IV. Est magnus timor & tremor qui debet esse in ipso, ne per suam fragilitatem iterum cadat in similia vel majora peccata. V. Est fortis disciplina & aspera correctio ad regendum suos sensus corporales, & totum suū corpus spiritui subjugare in obsequium Jesu Christi. VI. Est fortitudo & magna patientia in tentationibus, & adversitatibus. VII. Est vitare viriliter omnem personam & omnem creaturam aliam, quæ impelleret eum aut esset sibi occasio non solum ad peccatum sed etiam ad aliquam imperfectionem vitæ spiritualis, sicut dæmonem infernalem. VIII Est quod portet in se crucē Christi,

ſti, quæ habet quatuor brachia. 1. eſt mortificatio vitiorum: 2. eſt derelictio omnium bonorum temporalium. 3tium derelictio omnium affectionum carnalium parentum ſuorum. 4. ſui ipſius contemptus & abominatio & annihilatio. IX. Eſt diutiſſima & continua recordatio beneficiorum Dei, quæ hactenus recepit à Domino Jeſu Chriſto. X. Die ac nocte ſtare in oratione. XI. Eſt guſtare & ſentire de divino dulcore continuo. XII Eſt magnum & fervens deſiderium exaltandi noſtram fidem, ſcilicet quod JESUS Chriſtus ab omnibus timeatur, ametur, & cognoſcatur XIII. Eſt habere miſericordiam & pietatem in omnibus neceſſitatibus ſuo proximo? ſicut ſibi vellet haberi. XIV. Eſt regratiari ex toto corde tuo in omni-

omnibus Deo, glorificare & laudare in omnibus Jesum Christũ. XV. Est, quod postquam hæc omnia fecerit, sentiat & dicat, Domine Deus meus JESU Christe, nihil sum: nihil possum, nihil valeo, & male tibi servio, & in omnibus servus sum inutilis.

Quædam præcepta admodum utilia, & de statu Virorum Evangelicorum quem futurum prædicit.

CAPUT XIX.

TRes sunt radices Evangelicæ & Apostolicæ paupertatis seu principales partes: abdicatio omnis sui juris, rerum temporalium moderatio, paupertatis usus habituatus ad utrumq; affectus. Tres sunt partes abstinentiæ, scilicet enervatio carnalis amoris & sollicitudinis vitæ suæ sustentationis, non curare

de

de abundantia vel ſufficientia victualium & deliciarum, & uti parce oblatis. Tria ſunt à nobis ſingulariter, fugienda & metuenda. Primum exterior diſtractio negotiorum. 2. interior promotio & exaltatio. 3. temporalium rerum & carnalium amicitiarum ad ſe vel ſuos amicos, vel ſuum ordinem immoderata vel inordinata affectio. Tria ſunt à nobis ſingulariter exercenda & amplectenda. 1. Deſiderium proprij contemptus, abjectionis & externæ vilificationis. 2. Viſceroſa compaſſio ad Jeſum Chriſtum crucifixum. 3. Sufferentia perſecutionum & martyriorum pro dilectione cultus Nominis Chriſti & Evangelicæ vitæ. Hæc tria ſunt per quædam verba extenſiva per horas diei gemitibus & ardentibus ſuſpirijs poſtulanda.

da. Tria ſunt à nobis ſingulariter & quaſi aſſidue meditanda. 1. Chriſtus Crucifixus, incarnatus, &c. 2. Status Apoſtolorum & Fratrum præteritorum noſtri ordinis, & hoc cum deſiderio ut illis conformemur. 3. Status Virorum Evangelicorum futurus. Et hoc debes die noctúque meditari, ſcilicet ſtatum pauperrimorum, ſimpliciſſimorũ & manſvetorum humilium, abjectorũ, charitate ardentiſſima ſibi conjunctorum, nihil cogitantium aut loquentium nec ſaporantium niſi ſolum Jeſum Chriſtum & hunc Crucifixum; nec de hoc mundo curantium, ſuique oblitorum ſupernam Dei & beatorum gloriã contemplantium & ad eam medullitus ſuſpirantium, & ob ipſius amorem ſemper mortem ſperantium, & ad inſtar Pauli dicentiũ:

Cu-

Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto: & innumerabiles ac inæſtimabiles theſauros divitiarum cæleſtium: & ſuper dulces & mellifluos rivos divitiarum, ſvavitatum ac jucunditatum, & ſuper omnia mirabiliter expanſos & ſuperinfuſos. Et per converſationes imaginari debes eos ipſos, ut cantantes canticum Angelicũ cum jubilo citharizantium in citharis cordis ſui. Hæc imaginatio ducet te pluſquam credi poteſt in quoddam impatiens deſiderium adventus illorum temporum. Ducet te in quoddam admirabile lumen, amoto omnis dubietatis ac ignorantiæ nubilo & limpidiſſime videbis, & diſtincte diſcernes omnes defectus iſtorum temporum & immixtum vel myſticum ordinem Eccleſiaſticorum ordinem productorum

& pro-

& producendorũ ab initio Chriſti uſque ad finem ſæculi, & uſq ad gloriam ſummi Dei Jeſu Chriſti. Crucifixum ſemper portans corde tuo, ut te ad ſuam æternam gloriam perducat. Amen.

HYMNUS DEVOTISSIMUS SANCTI CASIMIRI,

Ad Beatiſſimam Virginem Mariam, Per dies hebdomadæ diſtributus.

DOMINICA.

OMni die, dic MARIÆ
Mea laudes anima,
Ejus Feſta, ejus geſta
Cole ſplendidiſſima.
Contemplare, & mirare
Ejus celſitudinem,
Dic felicem Genitricem,
Dic Beatam Virginem.
Ipſam cole, ut de mole
Criminum te liberet:

Hanc

Hanc appella, ne procella
Vitiorum ſuperet.
Hæc Perſona, nobis dona
Contulit cæleſtia,
Hæc Regina, nos Divina
Coluſtravit gratia.
Lingva mea, dic trophæa
Virginis Puerperæ;
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine, dic Reginæ
Mundi, laudum canticâ;
Ejus bona ſemper ſona,
Semper illam prædica.
Omnes mei ſenſus, ei
Perſonate gloriam:
Frequentate, tam Beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certè tam diſertæ
Extat eloquentiæ,
Ut condignos promat hymnos
Ejus excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudent
Matrem Dei Virginem,

Nullus fingat, quod attingat
Ejus celsitudinem.
Nemo dicet, quantum licet
Laudum ejus merita;
Ejus cuncta sunt creata
Ditioni subdita.
Sed necesse quod prodesse,
Piis constat mentibus,
Ut intendant quod impendant
In ipsius laudibus.
Quamvis sciam quod Mariam
Nemo dignè prædicet,
Tamen vanus & insanus
Quisquis illam reticet,
Cujus vita erudita
Disciplina cælica,
Argumenta & figmenta
Destruit hæretica.
Cujus mores, tanquam flores
Exornant Ecclesiam:
Actiones, & sermones
Miram præstant gratiam,
Evæ crimen nobis limen
Paradisi clauserat,
Hæc

Hæc dum credit, & obedit,
Cæli claustra reserat.
Propter Evam, homo sævam
Accepit sententiam;
Per MARIAM habet viam
Quæ ducit ad Patriam.
Hæc amanda & laudanda
Cunctis specialiter,
Venerari, prædicari,
Eam decet jugiter.
Ipsam posce, quam agnosce,
Posse prorsus omnia:
Ut evellat, & repellat,
Quæ sunt nobis noxia.
Ipsa donet, ut quod monet,
Natus ejus faciam.
Ut finita carnis vita,
Lætus hunc aspiciam.
O! cunctarum fæminarum,
Decus, atque gloria,
Quam electam, & erectam
Scimus super omnia.
Clemens audi, tuæ laudi
Quos intentos conspicis,

Munda reos, & fac eos,
　　Donis dignos cælicis.
Virga Jeſſe, ſpes opreſſæ,
　　Mentis & refugium,
Decus mundi, lux profundi,
　　Domini Sacrarium.
Vitæ forma morum norma
　　Plenitudo gratiæ:
Dei Templum & exemplum,
　　Totius juſtitiæ,
Virgo ſalve, per quam valvæ
　　Cæli patent miſeris.
Quam nec flexit, nec allexit
　　Fraus ſerpentis veteris,
Generoſa & formoſa
　　David prolés inclyta,
Quam elegit, Rex qui regit,
　　Et creavit omnia.
Gemma decens, roſa recens
　　Caſtitatis Lilium,
Caſtum chorum ad Cælorum
　　Quæ perducis gaudium.
Actionis, & ſermonis,
　　Facultatem tribue, Ut

Ut tuorum meritorum
Laudes promam ſtrenue.
Opto nimis, & imprimis,
Des mihi memoriam,
Ut decenter, & frequenter
Tuam cantem gloriam.
Q amvis muta & polluta
Meam ſciam labia,
Præſumendum, nec ſilendum
Eſt de tua gloria.
Virgo gaude omni laude
Digna, & præconio;
Quæ damnatis, libertatis
Facta es occaſio.!
Semper munda & fæcunda
Virgo tu Puerpera:
Mater alma velut palma
Florens & fructifera.
Cujus flore & odore
Recreari cupimus,
Cujus fuctu nos à luctu
Liberari credimus.

Pulchra tota sine nota
Cujuscumque maculæ,
Fac nos mundos, & jucundos
Te laudare sedule.

FERIA SECUNDA.

O Beata per quam data
Nova mundo gaudia,
Et aperta fide certa
Regna sunt cælestia:
Per te mundus lætabundus
Novo fulget lumine;
Antiquarum tenebrarum
Expulsa caligine.
Nunc potentes sunt egentes
Sicut olim dixeras:
Et egeni fiunt pleni
Ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum
Relinquuntur devia;
Perversarum doctrinarum
Nulla sunt præstigia;
Mundi fluxus atque luxus
Docuisti spernere,

Deum

Deum quæri carnem teri,
Vitiis resistere.
Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio:
Corpus angi motus frangi
Pro cœlesti præmio.
Tu portasti intra casti
Ventris claustra Dominum,
Redemptorem ad honorem
Nos reformans pristinum.
Mater facta, sed intacta
Genuisti Filium.
Regem verum atque rerum
Creatorem omnium
Benedicta per quam victa
Mortis est versutia:
Destitutis spes salutis
Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus
Cujus Mater diceris,
Qui creatus ex te natus
Nostri salus generis.

Reparatrix consolatrix.
Desperantis animæ,
A pressura, quæ ventura,
Malis est, nos redime,
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar:
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar,
Quod requiro quod suspiro
Mea sana vulnera;
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera,
Ut sim castus & modestus
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius rectus, circumpectus
Simulatis nescius,
Eruditus & munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus & ornatus
Sanctis exercitis.
Constans gravis atq; suavis
Benignus, amabilis,
Simplex, purus & maturus
Patiens, & humilis.

Corde prudens, ore ſtudens
Veritatem dicere,
Malum nolens Deum colens
Pio ſemper opere.
Eſto tutrix & adjutrix
Chriſtiani populi,
Pacem præſta ne moleſta
Nos perturbent ſæculi.
Salutaris Stella maris
Summis digna laudibus,
Quæ præcellis cunctis ſtellis
Atque luminaribus,
Tua dulci, prece fulci
Supplices & refove;
Quidquid gravat vel depravat
Mentes noſtras remove,
Virgo gaude quod de fraude
Dæmonis nos liberas:
Dum in vera & ſincera
Carne Deum generas;
Illibata, ſed dotata
Cæleſti progenie,
Gravidata, nec privata
Flore pudicitiæ.

Nam quod eras perſeveras
Dum intacta generas,
Illum tractans atque lactans
Per quem facta fueras.
Mihi mæſto nunc adeſto
Dans perenne gaudium,
Dona quæſo mihi læſo
Optatum remedium.
Commendare me dignare
Chriſto tuo Filio,
Ut non cadam ſed evadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem
Compeſce laſciviam:
Contra crimen da munimen
Et mentis conſtantiam.
Non me liget nec fatiget
Sæculi cupiditas,
Quæ indurat & obſcurat
Mentes ſibi ſubditas.
Numquam ira, numquam dira
Me vincat elatio;
Quæ multorum ſit malorum
Frequenter occaſio.

FERIA TERTIA.

ORa Deum, ut cor meum
Sua servet gratia,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen & juvamen
Tuum illis jugiter;
Tua festa sive gesta
Qui colunt alacriter.
Da virtutum mihi scutum
Ne in bello concidam:
Fidem rectam, spem robustam
Charitatem fervidam.
Maris Stella interpella
Quem portasti utero;
Ut hoc mare transmeare
Cursu donet prospero.
Det timorem & amorem
Sui semper Nominis,
Donet pacem & fornacem
Extingvat libidinis.
Castitatis, pietatis
Munimenta conferat:

Adsit

Adsit Rector & Protector
Nec me umquam deserat,
O preclara, viam para
Ad cælestem Patriam:
Sic me sana, ut mundana
Gaudia despiciam,
Mater bona, meis dona
R:quiem Parentibus,
Ora cunctis pro defunctis
Notis & affinibus.
Hunc egenum fac ad plenam
Pervenire gaudium,
Ut amare & laudare
Tuum possim Filium.
Méos notos fac devotos
Piis semper actibus:
Ut mandatis veritatis
Totis instent viribus.
Mala pelle & refelle
Dæmonum versutias:
Spiritales & carnales
Compesce nequitias.
Virgo lenis de catenis
Criminum nos eripe,

Ut ſoluti ſimus tuti
Victo mortis principe.
Adjutricem & nutricem
Te ubique ſentiant,
Qui felicem Genitricem
Dei te pronunciant.
Splendor Patris, Factor Matris
JESU noſtra gloria,
Da ut fiam per Mariam
Tua dignus gratia.
Mater Chriſti quæ tuliſti
Sacris hunc viſceribus,
Abſque viro, partu miro,
Quo pax datur gentibus.
Condeſcendens, & impendens
Miſeris auxilium:
Hunc aſpectum, hunc affectum
Dirige propitium.
Virgo mitis quæ contritis
Spem largiris veniæ:
Poſce Deum, ut trophæum
Suæ det Eccleſiæ.
Dona pacem, & fallacem
Inimicum contere,

Ne ignitis hic ſagittis
Poſſit nos elidere.
Jucundare, quæ portare
Meruiſti Dominum,
Mundi Lucem, vitæ Ducem
Salvatorem omnium.
Alter partus gravat artus
Invenit ſuſpiria:
Finem tuus pellit luctus
Dans æterna gaudia.
Aliarum fæminarum
Proles, fletu funditur.
Partus iſte nil ſcit triſte
Ubi Deus naſcitur.
O quam lætis à Prophetis
Es laudata vocibus,
Hoc ſecretum quod completum
In té eſt mirantibus,
Te Beatam, te prælatam
Cunctis eſſe docuit,
Quando ſuave illud ave
Gabriel aperuit.
Tu portaſti, & lactaſti,
Benedicta Domina,

Quem adorat, quem honorat,
Trina rerum machina.
Adorabas & lactabas
Deum factum hominem;
Qui nos lavit & salvavit
Suum ponens Sangvinem.
Vagientem & lactentem
Confovebas gremio,
Servi ille, tu ancillæ
Functa es officio,
Tu vescentis, & docentis
Usa es præsentia.
Te sciente & vidente
Fecit mirabilia.
Te præsente & monente
Consecravit nuptias,
Quando vino repentino
Sex implevit hydrias.

FERIA QUARTA.

TU divinæ disciplinæ
Pascebaris gratia:
Cum in Crucem suum Ducem
Gens levavit pessima.

Quot

Quot lamenta, quot tormenta,
Quanti tui gemitus,
Cum Rex cæli tam crudeli
Morti eſſet traditus.
Corde triſti pertuliſti
Paſſionis gladium,
Cum iirriſum & occiſum
Tuum cernis Filium.
Nam Rex magnus velut agnus
Immolari voluit:
Et per crucem, nobis lucem
Et ſalutem attulit.
Cujus pæna nos ad regna
Provehit cæleſtia:
Crux virtutis & ſalutis
Fit certa fiducia:
Mundum regens velut egens
Viſus eſt incredulis,
Ut per formam ſervi normam
Vitæ daret ſervulis.
Rex immenſus & ſuſpenſus,
Crucis in patibulo,
A pænarum æternarum
Nos ſalvans periculo;

Pius JESUS flagris cæsus,
Et corona spinea
Coronatus, & in latus
Est trasfixus lancea;
Qui effingens chaos ingens
Spoliavit inferos:
Fractis portis diræ mortis
Vinctos fecit liberos.
O quam læta es effecta,
Die facta tertia;
Cum Rex fortis victæ mortis
Attulit indicia.
Nam antiquum inimicum
Diris stringens vinculis,
Se videndum & tangendum
Præbuit discipulis.
Quis mirari, quis versari
Tuum posset gaudium:
Quando mæstis Rex cælestis
Pacis dedit nuncium.
Unde tibi laus adscribi
Debet atque gratia;
Quod tantorum gaudiorum
Facta es materia.

Poſt tot ſigna, quæ tu digna
Meruiſti cernere,
Ad Paternum vides thronum
Filium aſcendere.
Cui juncta; ſuper cuncta
Poteſtatem obtines;
Omnes ſoli, omnes poli,
Supergreſſa ordines.
O Regina huc inclina
Piæ mentis lumina;
Et excuſſa prece fuſa
Servulorum crimina.
Jam ſublimis facta nimis
Manes juxta Filium,
Celſa ſede: intercede
Pro ſalute omnium,
Nos conforta & reporta
Munus indulgentiæ;
Et reformes nos enormes
Ad ſtatum juſtitiæ.
Maris Stella, Dei cella,
Virtutiſque ſpeculum;
Quam miratur & precatur
Univerſum ſæculum.

Da ut queam mentem meam
Emundare vitiis;
Exercendo & colendo
Sacris eam ſtudiis.
Dona inquam ut jam vincam
Tentamenta dæmonum,
Nec permittas per ſagittas
Me perire criminum.
O decora Deum ora,
Ut det mihi gratiam:
Adſit cuſtos ne robuſtos
Meos hoſtes ſentiam.
Curam habe ut à labe
Criminum purificer:
Fac me rectum & perſectum
Fac beatum jugiter.
Pravus hoſtis nos intortis
Inquietat jaculis:
Tu reſiſte nec nos iſte
Suis trahat vinculis.
Dona pacem per quam vaccem
Divinis obſequiis,
Ne per curas perituras
Veris priver gaudiis.

O quam pravi & ignavi
Sunt qui mundum diligunt,
Nec attendunt cui ſe vendunt
Hi qui Deum negligunt.
Verè cæcus & ut pecus
Expers eſt ſcientiæ,
Quod delectat hoc quod ſpectat
In valle miſeriæ.
Nam quem fructum niſi luctum
Præſtant mundi gaudia;
Cujus cura gignit dura
Miſeris ſupplicia.

FERIA QVINTA.

REx virtutum cujus nutum,
Nihil poteſt fallere;
Nos tuere, atque veræ,
Lucis dita munere.
En jejunus à Te munus
Peto, nec deficiam;
Ut Sacrarum Scripturarum
Mihi des ſcientiam.
Micas panis velut canis
Mihi dari poſtulo;

Et quod quæro tuo spero
Te daturum servulo.
Rex benigne fac me dignè
Matrem tuam colere;
Quæ portavit & lactavit
Te Sacrato ubere:
Da virtutem ut refutem
Omnem immunditiam:
Fac me mitem ut de vitem
Zelum & stultitiam.
Honestorum mihi morum
Præsta elegantiam;
Ut honestus & modestus
In bono proficiam.
Sic nociva, incentiva
Sopiantur corporis;
Quod frigescant & quiescant
Parvi motus pectoris
Sit serena mens & plena
Spirituali gaudio;
Illustrata & purgata
Veræ lucis radio:
Stella maris quæ ignaris
Subvenis, & perditis:

In hoc ſolo nos à malo
Salva tuis meritis.
Nec à maris patiaris
Abſorberi fluctibus;
Qui extollunt, atq; colunt
Te devotis mentibus.
Virgo mitis ab ignitis
Jaculis non libera,
Quibus cadunt, qui non vadunt
Per tua itinera.
Clamat reus, vide DEUS
Dæmonis aſtutiam
Pelle dolum, ut Te ſolum
Pura mente cupiam.
JESU bone, ſic ſic diſpone
Horam mei tranſitus;
Ut ad chorum electorum,
Meus pergat Spiritus.
Dux Sanctorum, ſpes lapſorum
Virgo Mater Domini;
Per quam vita reſtituta
Eſt perennis homini
Gemebundo corde, fundo
Preces ad Te Domina;

Namque gravi, quam patravi,
Valde premor sarcina.
Solve moles, sicut soles,
Quibus pressus teneor;
Et excusa prece fusa;
Lapsus quos confiteor.
Dolor ingens me constringens
Vehementer cruciat.
Culpæ telum cor anhelum
Siquidem dilaniat.
Parce Flenti & dolenti
Summe rerum arbiter;
Nam mandata per te data,
Sum trangressus nequiter
Erubesco & tabesco,
Tuam timens faciem;
Cum meorum delictorum
Perpendo congeriem,
Ingens fletus atque metus
Meam turbat Animam:
Pavet sensus, dum suspensus
Horam pensat ultimam.
Quis futurus est securus
In illo examine,

Quando patent quæ nunc latent
Arguente lumine.
Quo dolore quo mærore
Detinentur miseri,
Qui abyssis pro comissis
Submergentur inferi.
Rex quid egi quo impegi
Quo infælix cecidi:
Quem deducunt, quem seducunt
Fraudes hostis perfidi.
Ad quem tendam, ut tremendam
Evadam sententiam.
Quem requiram, per quem iram
Judicis effugiam
Beatarum fæminarum,
Virgo Beatissima,
Illum gerens, qui nos quærens
Visitavit infima.
O MARIA qua sophia
Prodiit altissimi:
Ut credendo & sequendo
Posset homo redimi.
Formidandum redde blandum
Judicem supplicibus,

Ne iratus, ob reatus
    Sævis tradat ignibus.
Cœli scala fac me mala
    Quæ impugnant vincere.
Et in bono, quod propono
    Constanter persistere.

FERIA SEXTA.

NUmquam sinas in me spinas
    Vitiorum crescere;
Sed ad fructum nos virtutum
    Dones semper tendere.
Clemens dona, ut Patrona
    Velis esse misero.
Ut sis mecum cum ad æqvum
    Tribunal processero.
Supplicando me commendo,
    Tuo patrocinio.
Ne Rex fortis diræ mortis
    Tradat me supplicio:
Preces funde, & responde
    Pro me ante judicem.
Nam offensæ sunt immensæ
    Quæ accusant supplicem

Despe-

Desperarem, si pensarem
Mea tantum merita,
Nec audissem, nec sensissem
Tanta bona præstita.
Mater alma, tuis salva
Precibus hunc miserum.
Quem subegit & confregit
Magna moles scelerum.
A peccatis & à mortis
Libera præpositis.
Te poscentem, & habentem
Spem in tuis meritis.
Virgo lenis, à terrenis
Munda nos affectibus:
Ac cunctorum delictorum
Nos absolve nexibus.
Paradisi, quo dimisi
Exulamus, aditum
Nobis pande, quod ob grande
Nimis potes meritum,
Illic Patrem atque Matrem
Mecum fac constitui,
Et bonorum æternorum
Ubertate perfrui.

Mater agni, qui tiranni
Victor cœpit ſpolia,
Quo eliſi, paradiſi
Caremus lætitia.
Noxas dele, parentelæ
Meæ tuis precibus;
Et da cunctis mihi juctis
Frui bonis omnibus.
Virgo Sáncta, Mater caſta,
David proles inclyta.
Pia prece nos de fæce
Peccatorum ſuſcita
Proles jeſſe per quam feſſæ
Rotorantur animæ:
Fac nos fortes & cohortes
Tenebrarum comprime.
Ab his telis, Tu nos velis
Supplices deffendere:
Quibus perit, quiſquis quærit
Carni ſatisfacere.
Virgo lenis, nos à pænis
Salva gehennalibus;
Nec inferni nos ſubſterni
Sinas cruciatibus.

Vitam lætam & quietam
  Fac nos semper agere:
Ut virtutis, & salutis
  Gaudeamus munere.
Suplex oro, ut in choro
  Te Sanctorum videam,
Ut Divinæ sine fine
  Dono lucis gaudeam;
O quam grata & beata
  Tua est memoria:
Actiones, & sermones
  Tui sunt remedia.
Gratulamur & conamur
  Laudes tuas canere:
Quamvis totum cor devotum
  Nequeat exprimere.
Sic est densa, sic immensa
  Laudis tuæ copia,
Ut profunda & fæcunda
  Succumbant ingenia.
Nemo præbet quantum debet
  Laudes tuæ gloriæ,
Qua processit qui repressit
  Authorem malitiæ.

Benedicta quæ devicta
Vana carnis gloria.
Æternorum gaudiorum
Extitiſti nuncia.
Benedictus qui affixus
Crucis in patibulo;
Nos ſalvavit, & donavit
Pacem ſuo populo.
Virgo mitis, infinitis
Prædicanda laudibus.
Tuum natum fac placatum
Cunctis te colentibus.
Da perfectum intellectum
Quo devitem noxia
Fac me noſſe, & da poſſe
Quæque ſunt utilia.
Curam gere, ut ſincere
Converſari ſtudeam
Ut devotus, carnis motus
Spiritu coerceam.
Mater DEI, preces Ei
Funde, qui nos muniant

Preces funde, ut ſæcundæ
Quæquæ res eveniant.

SABATO.

VIrgo lenis, à venenis
Draconis me libera:
Cujus doli, celſa poli,
Labefactant ſydera.
Penſa, penſa, quam immenſa
Mihi ſit fragilitas.
Quam antiqvum inimicum
Mea fert humanitas.
DEI aula circumvalla,
Tuo nos munimine.
Reos ſolve, juſtos fove,
Imbecilles ſuſtine.
Judex juſte, rogamus Te
Ut des cunctis veniam,
Qui MARIÆ Matris tuæ,
Diligunt memoriam.
Jeſſe proles, ſolve moles
Quæ me premunt ſcelerum
Intuere, & medere
Morbis te poſcentium

Tru-

Truculentus & cruentus
Hoſtis inſtat nimium.
Nempe certat ut ſubvertat
Me per canis vitium.
Nunc latenter nunc patenter
Non ceſſat irruere:
Quærens artem, quærens partem
Quam poſſit ſubrepere.
Conſervare me dignare,
Glorioſa Domina:
Et elide homicidæ
Furentis conamina.
Sermo vanus & inſanus,
Mihi non ſubripiat.
Non auditus non pruritus
Gulæ me deijciat.
Non me tactus aut olfactus
Ad peccandum provocet,
Non me viſus, non me riſus
Vel furor præcipitet.
Gemebundus fero pondus,
Culparum ingentium.

His ſolutum, ad virtutum
Trahe me faſtigium.
Alma Virgo, ſuplex rogo,
Tuam excellentiam.
Ut æternam, per Te cernam
Tui nati gloriam.
Fons virtutum, da ut lutum
Vitiorum deſeram.
Mentis viſum, atque niſum
Ad ſuperna transferam.
O MARIA, vitæ via,
Plena DEI gratia.
Inter Deum, & hunc reum
Precor ut ſis media.
Funde precem, ne in necem
Decidam perpetuam:
Ut ſim caſtus, atque faſtus
Mundi hujus reſpuam.
Ille ductor & inſtructor
Adſit mihi Spiritus;
Qui Te mundam, & fæcundam
Fecit eſſe Cœlitus.
Illa inquam, ne delinquam
Me conſervet gratia,

Qua replevit Te, qui flevit
Inter tua brachia.
Meum pectus, sic affectus
Charitatis impleat;
Ut ab eo, quidquid DEO
Displicet removeat.
Maris stella, seda bella
Seda malos homines?
Ne nos mergant, aut dispergant
Mundi hujus turbines.
Corde læto, tuo peto
Salvari suffragio;
Et postremo, in supremo
Collocari gaudio.
DEI Mater fac gratanter
Tua nos solemnia.
Celebrare & vitare
Carnis desideria.
Meam vitam, fac munitam
Fide & operibus:
Ut ad cænam intrem plenam,
Bonis immortalibus.
Mater DEI, nostræ spei,
Causa, & exordium, Po-

Poſce natum ut optatum
    Nobis det remedium.
De mortalis vitæ malis
    Me dignanner erue:
Et poſt mortem, dona ſortem
    Quietis perpetuæ.
Pro meorum propinquorum
    Salute Te poſtulo;
Ut lætentur, & ſalventur
    Ab omni periculo.
Meis charis, largiris,
    Jam defunctis veniam;
Et cunctorum commodorum
    His qui vivunt copiam,
Illis præcum, dona mecum
    Tuarum ſuffragia.
Ut moderna, & æterna
    Fruantur lætitia.
O MARIA Mater pia,
    Tuum da ſubſidium,
Quo vincamus, & vivamus,
    In terra viventinm.
Da medellam, & tutelam
    Cunctis te colentibus,

Pacem bonam & Coronam
Cum supernis Civibus.
Pater DEUS, Fili DEUS,
DEUS alme Spiritus,
Per æterna nos guberna
DEUS unus sæ ula, Amen.

LITANIÆ
DE
SS. P. N. DOMINICO.

KYrie eleyson, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor Mundi DEUS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEUS. Miserere nobi.
Sanna Trinitas unus DEUS, Miserere nobis.
Sancta MARIA Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum,
Magne Pater Sancte DOMINCE,
Lumen Ecclesiæ,
Lux Mundi,
Jubar sæculi,
Prædicator Gratiæ,
Rosa patientiæ,
Salutis Animarum sitientissime,
Martyrij cupidissime,

Magne Animarum œconomæ,
Vir Evangelice,
Doctor veritatis,
Ebur Castitatis,
Vir plane Apostolici pectoris,
Pauper in peculio,
Dives vitâ pura,
Pro zelo pereuntium ardens quasi facula,
Evangelii Tuba,
Præco Cælestium,
Abstinentia Regula,
Sal terræ,
Quasi Sol refulgens in Templo DEI,
Christi suffulte gratiâ,
Stola dotate Regia,
Flos in Florum virens aureola,
Terram rigans Cruore pio,
Cæli locate horreo,
Fulgens in Choro Virginum,
Prædicatorum Ordinis Dux & Pater.

Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Ut mortis hora tecum suscipiamur in Cælo,
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobi Domine, &c:
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
3. Pater noster & 3. *Ave &c: &* 1. *Credo. Gloria Patri &c.*

℣. Pie Pater Dominice tuorum memor operũ,
℟. Sta coram summo Judice pro tuo cætu paperum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟, Et clamor meus ad Te veniat.

ORA-

ORATIO.

COncede quæsumus Omnipotens DEUS, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur Beati DOMINICI, Confessoris Tui, Patris nostri patrocinio sublevemur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oratio ad S. P. Dominicum.

O Alme Pater Dominice. Religiosorum Dux & Monarcha noster, spes, & solatium, omnium ad Te toto corde clamantium, tuæ Sanctissimæ protectioni humiliter me commendo, ut propter excellentiam meritorum tuorum ab omnibus, quæ contraria sunt Animæ meæ, defendere me digneris, atq; de pietatis tuæ abundantia compunctionis, & lacrymarum gratiam mihi impetres; ut dignè copioseq; valeam tanta mala & offensas plangere, quibus à juventute mea, amabilem, & desiderabilem Dominum nostrum JESUM Christum, provocavi frequentius. O vitis in domo Dei plurimum fructifera! o vas auri solidum, omni lapide pretioso ornatum, & secundum Cor Dei electum, atq; innumeris gratiarum charismatibus, tanquam gemmis corruscantibus decoratum: Te oro, Te rogo, Tibi toto cordis affectu supplico, ut mei miserrimi peccatoris, memor esse apud Dominum Deum digneris, quatenus peccatis meis omnibus benignus indulgeat, meque in bono conservet, nec ab eo unquam discedere,

aliqua necessitate permittat: sed ad Beatorum consortium, visionemq; illam delectabilem me admittat: ubi tecum, ac cum illo Religiosorum cætu maximo, sub tuo vexillo posito, gaudere perpetuo possim ipso Deo, ac Domino nostro JESU Christo præstante. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

SACRA BENEDICTIO,

Illius Cinguli qui solito more post delatam de Cælo Imaginem.

Sanctissimi Patriarchæ & Fundatoris, Sacri Ordinis Prædicatorum

DOMINICI IN SURIANO,

Animalibus à maleficijs vel casibus malis liberandi causa collo solet appendi

Secundùm formulam Sacræ Apostolicæ Romanæ Cameræ, propter innumera per præfati Sanctissimi Patris in Italijs intercessionem in incurrentibus maleficijs patrata miracula, qui etiam hominibus veram devotionem & fiduciam ad Sanctum Patriarcham Dominicum habentibus, ad collum applicari potest. *Ille Cingulus debet esse factus ex albis filis, & longus duabus ulnis & media quarta parte ulnæ.*

Adjutorium nostrum &c: Domine exaudi &c: Dominus vobiscum &c:

O R E M U S.

DEUS invisibilis, & inæstimabilis pietatem

tuam

tuam per Sanctum ac tremendum tui Nomen suppliciter deprecamur, ut in hac creatura funis ad mensuram Imaginis Sancti Patriarchæ Dominici † Benedictionem, & potententiam invisibilis operationis infundas, ut animalia, quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus es, eisdem mensuris cincta † Benedictione tua ab omni ægritudine, & læsionis incursu te protegente custodiantur. Per eundem Dominum nostrum &c:

Antequam prædictum Cingulum ad collum animalium appendatur, Sacerdos & astantes genuflexi recitent sequentes versus.

DOmine non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis.

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos DEUS Salutaris noster: & propter Gloriam Nominis tui, Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

Dum autem actu appenditur, dicat Sacerdos.

O R E M U S.

MIsericordiam tuam Domine supplices exoramus: ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate

firmitate vexantur, in Nomine tuo, atq; tuæ † Benedictionis virtute ſanentur, extingvatur in eis omnis diabolica poteſtas, ne ulterius ægrotent, ut eis Domine ſis Defenſor vitæ, & remedium ſanitatis Sancte Pater Dominice defende & libera ab his infirmitatibus hæc animalia per Nomen Domini noſtri JESU Chriſti, & per tua ſancta merita, Amen.

℣. O ſpem miram, quam dediſti mortis hora te flentibus, dum poſt mortem promiſiſti te pro futurum Fratribus: imple Pater, quod dixiſti nos tuis juvans precibus.

R. Qui tot ſignis claruiſti in ægrorum corporibus, nobis opem ferens Chriſti ægris medere moribus: imple &c: Gloria Patri &c: Imple &c:

℣. Ora pro nobis Beate Pater Dominice,
R. Ut digni efficiamur promiſſionibus Xti.

O R E M U S.

DEUS, qui Eccleſiam tuam Beati Dominici Confeſſoris tui illuminare dignatus es meritis & Doctrinis: concede, ut ejus interceſſione temporalibus non deſtituatur auxiliis & ſpiritualibus ſemper proficiat incremētis.

DOmine Sancte Pater, Omnipotenns æterne DEUS, defende quæſumus, omnia animalia noſtra per hanc † Benedictionem, & menſuram S. Patris Dominici, à rapacibus latronibus, à ſcabie, à morbo, à morſibus, à laqueis, á diabolo, ab infirmitate, ab invidua à malitia pravorum, maleficiis, ab omnibus

mali,

malis quibus vexantur, per invocationem Sanctissimi Nominis JESU, & per merita Sancti Dominici, ea sanare, conservare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Postea aspergantur aqua Benedicta.

Deinde benedicatur stabulum cum versiculo.

Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. *Evang:* In principio erat Verbum &c: *Collecta:* Visita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias &c:

LITANIÆ DE DIVO HIACINTHO.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cælis DEUS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEUS, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancte HYACINTHE Sacræ DEIparæ, Beniamin charissime, Ora pro nobis.
Flos Cælestis. Ora pro nobis.
Lapis Mystice Hierusalem. Ora pro nobis.
Verbi in Eucharistia abbreviati pertumentes fluctus bajule. Ora pro nobis.
Gerule MARIÆ sine pondere, Ora pro nobis.
Cum MARIA calcans Maria. Ora pro nobis.

Super aquas ambulator intrepide
Per MARIAM fugans omne malum
Per MARIAM impetrans omne bonum,
Cum MARIA potens omnia,
Domitor dæmonum.
Hæresum Extirpator,
Sedator tempestatum,
Restitutor sanitatum,
Consolator afflictorum,
Certa salus in periculis,
Peste laborantium Curator mirifice,
Spes agonizantium,
Præsidium omnium ad Te clamantium,
Operum Sanctitate refulgens,
Miraculorum gloria conspicue,
Clare vitæ munditia,
Evangelij Tuba,
Præco Cælestium,
Vir plane Apostolici pectoris,
In corde Angele,
In corpore Seraphim,
In intellectu Archangele,
Charitate fervide,
Salutis Animarum sitientissime,
Pro Zelo pereuntium ardentissime,
Dono Prophetiæ illustrate,
Sapientiæ Dono prædite,
Dono consilij exornate,
Magne Animarum Oeconome,
Prædicator ferventissime,
Potens opere & sermone,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Terram rigans cruore pio,
Sancti Patris DOMINICI Æmulator assidue.
In vinea Domini operarie indefesse,
Ordinis Prædicatorum Decus,
Mundi Lumen & Gloria,
Ut per veram pœnitentiam resipiscamus,
Ut per bona temporalia non amittamus æterna,
Ut fruamur Sanctitate mentis & corporis,
Ut angustis & doloribus nostris ad remedia correctionis incitemur.
Ut quæ digna petimus assequamur,
Ut hora mortis tecum suscipiamur in Cælum.

Ora pro nobis.

Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

ANTIPHONA.

GAude Fili HYACINTHE, quia tuæ à Filio meo exaudiuntur preces ut quid quid ab eo petieris me interveniente consequeris.

℣. Ora pro nobis B. HYACITHE,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Xti.

OREMUS.

DEUS qui Beatum Hyacinthum Confessorem tuum in diversis Nationum populis operum Sanctitate & miraculorum gloria fecisti

fecisti conspicuũ da nobis ut eius in meliusre-formemur exemplis & in adversis prote-gamur auxiliis. Per Christum Dominum &c.

Oratio ad S. Hyacinthum.

O Flos, & decus Ecclesiæ? ô gloriosum lu-men Ordinis Prædicatorum? ò Cæli sy-dus præclarissimum, atq; speculum sanctarum virtutum. S. Hyacinthe, posce mihi suffragi-gium apud Christum Dominum, quo Tibi consociari valeam in æterna beatitudine. O præclarissime Confessor, qui multis subvenis in tribulatione, & necessitate laborantibus: precor te, ô diadema Sarmatiæ, ut intercedas pro me misero. & indigno peccatore, ad Do-minum, qui te elegit, ut tuis Sanctis meritis & orationibus, adjutus & protectus, veniam omnium peccatorum meorum, faciliùs conse-qui merear. O dilectissime Patrone S. Hy-acinthe, per JESUM Christum, qui te nobis dedit Patronum, & esse intercessorem pro nobis voluit; noli me miserum despicere, propter innumerabilia mea peccata; sed pro amore Christi, quem omnis creatura venera-tur & adorat, curam mei habe, ut omnis langvor corporis & Animæ meæ, elongetur à me, ac de instantibus periculis eruar: & qui per te miracula operatur, operetur quoq; in me, tua intercessione misericordiam suam, virtutes plantet; & liberet me de adversitate, tribulatione, & angustia. quam propter mea

peccata

peccata patior. O Sancte Dei Confessor, ô Beatissime Pater Hyacinthe, suscipe orationem famuli tui N. poscentis tuum præsidium, & converte luctum, tribulationem, & tentationem in gaudium, ut possim secura mente, & tranquilla devotione, te meum Patronum semper venerari, tibiq; devotè servire in sempiternum, Amen.

℣. Ora pro nobis, &c:

O R E M U S.

Concede quæsumus omnipotens, & misericors Deus, ut malis omnibus, quibus meritò propter scelera nostra affligimur, Beati Hyacinthi Confessoris tui, intercessione superatis, ad tuam securi gloriam transeamus. Per Dominum nostrum, &c:

BENEDICTIO AQVÆ,

Infirmis proponendæ, qui ex voto vel devotione sese commendant.

S. HYACINTHO.

Sacerdos Stola indutus dicat.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini,

℟. Qui fecit Cælum & terram.

℣. Domine exaudi orationem &c: Dominus vobiscum. &c:

O R E M U S.

Omnipotens & misericors Deus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque

Sacra-

Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, & hoc elementum aquæ dignanter aſpice benignus illuſtra, pietatis tuæ rore ſanctifica eiq; virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua tuis myſterijs ſerviens, Divinæ gratiæ ſumat effectum ad abigendam omnem immundi ſpiritus infeſtationem, auram corrumpentem, ſpiritum peſtilentem & quidquid in columitati, aut quieti fidelium nocere poteſt, procul pellendum & quicunq; ex hac aqua guſtaverit vel biberit per invocationem Sancti tui Nominis, merita ac interceſſionem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ & B. Hyacinthi expetitam corporis ſanitatem conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde aſpergatur aqua bened: & Sacra Reliquia, ſi quæ habent: vel Metallum immergatur & extrahatur

LITANIÆ
DE
S. THOMA AQVINATE,
Eccleſiæ Doctore Theologorum & Philoſophorum Patrono,

Ex Divinis & Summorum Pontificum teſtim

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus. Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.

Sancta

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere n:
S. MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, Ora pro nobis
S. Virgo Virginum, Ora pro nobis.
S. THOMA AQVINAS, Ora pro nobis,
Gloriose Thoma, Ora pro nobis
Lucerna Missa â Deo, ut illuminares intellectus ignorantes, Ora pro nobis.
Lumen valde lucidum à Deo in Ecclesia Sancta collocatum. Ora pro nobis.
Lux ardentissima in Corpore Mystico, militantis Ecclesiæ tenebras hæresum ac errorum extingvens, Ora pro n:
Qui magno lumine Sponsam Dei Ecclesiam illustrasti, Ora pro nobis.
Qui obcæcatos animos illuminasti cum humilitate perfecta, Ora pro nobis.
Cui Deus exhibeat lumen supernaturale,
Qui scientiam infusam ex gratia habere promeruisti, Ora pro nobis.
Qui scientiam potius per assiduitatem orationis, quam ex humano studio acquisivisti. Ora pro nobis.
Qui cum oculo clarissimo nobilis intellectûs tui in Divina veritate speculabaris, Ora pro nobis.
Qui fuisti famelicus salutis Animarum & honoris Dei Ora pro nobis.
Cujus doctrinæ tantum fuit tributum ut Divinum etiam illud habeat testimoniū bene de me Thoma scripsisti, *Clem*:8. Ora pro nobis. A.1603.

Deus Pater tract: 2. Dial: 8. Catharine Senensis c. 14. & tract: 3. c. 96. & 119. & tract: 6. c. 15. 8.

Cujus doctrina Salvatoris Crucifixi ore mirabiliter probata fuit, Ora pro nobis. *Pius 5. A. 1567.*

Qui SS. Petrum & Paulum locos quosdam Dei jussu interpretantes habuisti, Ora pro nobis.

Qui quod scripsisti articulos, tot miracula fecisti, Ora pro nobis, *Ioan. 22. A. 1322.*

Qui in diversis Philosophiæ partibus scripta in Dei laudem fideiq; dilationem eruditionemq; studentium non absq; speciali Dei infusione perfecisti, Ora pro nobis.

Cujus doctrina est perfecta, & non sine infusione Spiritûs S: Ora pro nobis.

Cujus doctrina Ecclesiam rigat & terram satiat, Ora pro nobis. *Clemens 6. A. 1342.*

Prælucide ac fructuose palmes, cujus odor Ecclesia reficitur incessanter. Ora pro:

Ex cujus doctrinæ scriptis & traditis universalis Ecclesia multiplicis ubertatis Spiritualis fructum colligit, plus quam Salomon. Ora pro nobis. *Innoc. 6. A. 1352.*

Cujus doctrina præ cæteris, exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum & veritatem sententiarum, Ora pro nobis. *Urb. 5. A. 1367.*

Cujus doctrinam qui tenuit, nunquam invenitur à veritatis tramite deviâsse, Ora pro nobis.

Cujus doctrinam qui impugnavit, semper fuit de veritate suspectus, Ora pro nobis.

Qui

Qui Beati Augustini vestigia in sequens Ecclesiam doctrinis & scientijs quàm plurimis adornasti, Ora pro nobis.
Cujus doctrina est tanquam veridica & Catholica sectanda, Ora pro nobis.
Cujus doctrina fulget Ecclesia, ut Sole Luna, Ora pro nobis.
Ecclesiæ Doctor & Scriptor Angelice, Ora pro nobis.
Cujus doctrina est certissima Christianæ doctrinæ regula, Ora pro nobis.
Qui Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrasti, Ora p. n.
Cujus meritis Orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur, Ora pro nobis.
Ecclesiæ Catholicæ Cherubin atq; (ornamentum. Ora pro nobis.)
Divinæ voluntatis Angelice Interpres Ora pro nobis.
Cui tota Christiana Ecclesia plurimum debet, Ora pro nobis.
Cujus doctrina est Divina Cælestis, admirabilis, Ora pro nobis.
Qui ingentem librorum numerum mirâ perspicuitate sine ullo prorsus errore conscripsisti, Ora pro nobis.
Cujus scriptorum clypeo militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit, Ora pro nobis.
Cujus doctrinæ, sunt inconcussa tutissimaq; dogmata, Ora pro nobis.

Pius 5. A. 1557. Sixt: 5. A. 1588. Clem: 8. A. 1603. Paulus 5. A. 1616.

Cujus penes Catholicos omnes ingens & omnem laudem supergressum nomen, novi præconij commendatione planè non eget, Ora pro nobis. *Alex. 7. 1660.*

Patone Theologorum, Ora pro nobis.

Patrone Philosophorum, Ora pro nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine,

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata &c:

Ant: Collaudetur Christus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Ecclesiæ, mundum replet doctrina gratiæ.

℣. Ora pro nobis S. Thoma.

R. Ut digni efficiamur &c:

OREMUS.

DEUS qui Ecclesiam tuam B. Thomæ Confessoris tui atq; Doctoris mira eruditione clarificas, & sancta operatione fæcundas da nobis quæsumus, & quæ docuit intellectu conspicere & quæ egit imitatione complere. Per Dominum nostum &c:

Oratio ad S. Augustinum & S. Thomam à Thomistis dicenda ex Vincentio Contenson.

DOctores Ecclesiæ Christi insignes Sanctissime Augustine & Divinissime Thoma, per eam, quâ ad Deum valetis, gratiam vos obtestor, ut scholam illam solemni Sacramento doctri-

doctrinæ vestræ defendendæ obstrictam conti-nua protectione dignemini. Facite ut doctri-na vestra Thom starum tutelæ concredita Do-minicanis defensoribus non careat, quæ defen-soribus carere non potest. Ne abs vobis hanc familiam segregetis, nec deseratis quæ vos in Parentum dilexit loco, quæve vos so-los semper fecit maximi, seu vobis morigera fuit in dogmatibus omnibus, suosq; agnovit amicos, tutores, & Patres. Eximius sa è & incredibilis erga familiam & scholam no-stram vestri pectoris amor ita nos beneficijs hactenus affecit, ita ardentioris dilectionis ne-xibus in dies devincit, ut toti in conferendis beneficijs impensi esse viseamini: sed recipro-cus est, Sanctissimi Patres, in vos, Cælestemq; doctrinam vestram verorum Thomistarum a-mor, non simulatus, non qualiscunq; non perfunctoriùs, sed visceribus infixus, utpotè hæreditarius, & ab uberibus Puctus: quod enim S. Dominicus Augustini Filius, quod S. Thomas Augustini Discipulus lac dulciter bi-berant, vobis propinatum gustamus svaviter, medullitùs retinemus, ardenter prosequimur, intrepidè tutamur. Justum ergo est, Docto-res incomparabiles, ut ingrata vobis non sit schola illa, quæ non aliam gratiam spirat quam vestram. Justum est, ut si gratias vo-bis referre quantas debemus non possumus, habeamus tamen quantùm maximas. A vo-bis totum, si quid in nobis est hausimus; in

vos

vos totum grati refundimus, ut ad locu unde exeunt flumina, revertantur. Quod tenemur colligere fragmenta, ne pereant, ho est, ut exponit Bernardus, ne minima qu dem beneficia oblivisci, quid à nobis perte tandum juberet gratitudo, qui à vobis totu possidemus, cogitari quidem fortassis vel c siderari potest, dici vero, multo minuit r pendi non potest.

Verum quia immaculata, labisq; pura d ctrina vestra immaculatos quærit animos, l bisq; puros, nec eam capit nisi mens mund illam nobis à Deo exorate gratiam salut rem, quæ non solum expeditos animos av sed ipsa expedit, ac vilissimorum terræ co modorum amore liberat; puros noscit & p ros facit. Ita confore speramus: Sic vob faventibus intentatis ab adversarijs nost malis maturè occurremus, & defensæ doct næ vestræ gloriam nobis eximiam æternu retinebimus, ut in Sancti Ordinis perpetu tate perpetuos habeat Custodes, Prædicato res, & Propagatores.

Benedictio Cingulorum.

℣. Adjutorium &c: R. Qui fecit Cælum &c
℣. Domine exaudi &c: R. Et clamor meu ad Te &c: ℣. Dominus vobiscum &c:

O R E M U S.

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, purita tis amator & Custos, obsecramus im men-

menſam Clementiam tuam, ut ſicut miniſte-rio Angelorum, S. Thomam Aquinatem Cin-gulo caſtitatis cingere, atq; à labe corporis ac Animæ præſervari feciſti, ita ad honorem & gloriam ejus benedicere (✠) & ſanctifica-re digneris Cingula iſta, ut quicunq; ipſa cir-ca renes reverenter portaverint, ac tenuerint, ab omni immunditia mentis & corporis pu-rificentur, atq; in exitu ſuo per manus San-ctorum Angelorum tibi digne præſentari me-reantur. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas Deus per omnia ſæcula &c:

Deinde Cingula aqua benedicta, atq; omni-bus ea poſtulantibus ſequenti Oratiuncula benè precando; reverenter diſtribuat.

PRæcingat te Dominus JESUS Cingulo ca-ſtitatis, & meritis S. Thomæ Aquinatis, extingvat in lumbis tuis omnem humorem libidinis, ut maneat in te virtus continentiæ & caſtitatis. Amen.

TAndem quicunq; Cingulum Thomiſticum acceperit, mox ſe in album hujus militiæ referri faciat, & R. P. Director ſubſequenti Oratione, diſtributioni finem imponat.

Oratio pro Victoria obtinenda,

Reſpon: de S. Thoma Aquinate.

R. Chriſti pia tractus Thomas dulcedine, mundum linquens probatur turbine. Pugil fortis raptus de ordine, vicit prorſus pulſa libidine. ℣. Orat, preſſa Cruce mirifica re-

nes cingit manus Angelica. Pugil fortis &c: Gloria Patri &c: Pugil fortis &c:

℣. S. Thoma Doctor Angelice defende nos in prælio.

℟. Ut non pereamus in tremendo judicio

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Memor esto congregationis tuæ.

℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Domine exaudi &c: ℟. Et clamor &c:

O R E M U S.

OMnipotens & misericors Deus, qui nos in durissimo castitatis certamine constitutos, almo S Thomæ Aquinatis Cingulo munire dignatus es: largire supplicibus tuis ut Cælesti ejus subsidio lascivum corporis & Animæ hostem in hac militia feliciter superare, & perpetuæ puritatis lilio coronati, inter castas Angelorum acies beatitudinis palmam à te accipere valeamus. Per Dominum nostrum &c:

LITANIÆ
DE SANCTO
VINCENTIO FERRERIO.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.

San.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancte Pater VINCENTI, Ora pro nobis.
S. V. Gloria Prædicatorum Ordinis,
S. V. Alter Angele declarans Evangelium æternum.
S. V. Perfectionis vitæ Magister.
S. V. Sagitta de arcu Dei ad corda hominum vulnere amoris JESU feriendum emissa. (Hispanijs.
S. V. Successor S. Jacobi Apostoli in
S. V. Vox clara VERBI Incarnati.
S. V. Tonitru toti orbi pro peccatis fulmina Dei minantis.
S. V. Tuba tremendum spargens Judicij sonum.
S. V. Lucifer ad dirigendos pedes errantium in viam salutis à Deo ordinate.
S. V. Vere Moyses perducens populum ad terram promissionis.
S. V. Alter Isaia, Oris igne Divino inflammate.
S. V. Jona efficatior plures civitates ad Contritionem commovens.
S. V. Josue fortissime ardores solis justitiæ temperans.
S. V. Joseph castissime in Aula Regis Hispaniæ Constantissime,
S. V. Tobia operibus misericordiæ excelentissime.
S. V. Helia igneo Verbi Divini amore insignite.

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

S. V. Sanctior Eliseæ mortis triumphator.
S. V. David contra Goliath infernalem decertans.
S. V. Spiritu Oris tui menia Babilonis Tartareæ, diruens,
S. V. Lapille de monte Dei ad contritionem obduratorum demisse.
S. V. Columna ignis populo Dei in solitudine prævia.
S. V. Virga mystica in manu Dei faciens mirabilia.
S. V. Angele volans predium Cæli.
S. V. Vas electionis ad portandum Nomen JESU coram Gentibus & Principibus.
S. V. Nunt. è Christi vocans ad Nuptias Cælestes.
S. V. Agricola Evangelice Verbum Dei disseminans.
S. V. Ovilis Christi Vigil fidelissime.
S. V. Pastor optime errantes oves Christo congregans.
S. V. Drachmam de thesauro Christi perditam quærens solicite.
S. V. Mercator Cœlestis novas quærens Margaritas.
S. V. Peccatorum Pœnitentia Angelos lætificans,
S. V. Qui existi vincens ut vincas & Coronam accipias.
S. V. Urbs Refugii in tribulationibus nostris.

S. V. Desperantium singularissime Consolator.
S. V. A fulgure & tempestate Protector.
S. V In ardoribus Refrigerator,
S. V. Laborantium Auxiliator,
S. V Tutellaris periclitantium.
S. V. Medice Langvoribus & morbo caduco perfectissime.
S. V. Morientium Patrone,
S V. Adjutor Christianorum,
S V. Corona Sponsæ Christi S. Ecclesiæ.
S, V. Clarissime obedientia Patriarcharum.
S. V. Plene Spiritu Prophetarum.
S. V. Sectator Apostolorum.
S. V. Emulator Martyrum.
S V. Gloria Confessorum.
S. V. Splendidissime Candore Virginum.

Ora pro nobis.

Ut tremendi Judicij Divini recordemur,
Ne sine contritione & dolore pro peccatis de hac vita excedamus,
Ut clementem & misericordem Judicem inveniamus,
Ut ab omni Animæ & corporis langvore liberemur.
Ne præterita peccata nóstra iterum renovemus.
Ut per merita tua Cælesta Regnum consequamur,
Ut Te intercedente & adjuvante omnia Peccata evitemus,
Ut ab omni malo liberemur.

Ora pro nobis

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobi.

Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison. &c.

Tria Pater, 3. Ave & 1. Credo.

ANTYPHONA,

PEr vigil Christi Nuntius vocans ad lucis opera, ad fruenda Vincentius nos ducat vitæ munera.

II. ANTYPHONA.

ADsit nobis propitius in hujus vitæ vespere ad Christum Nos Vincentius tuto ferens itinere.

OREMUS.

GLoriose Apostole Hispaniarum Sol lucidissime universi Orbis Sancte Vincenti Ferreri, qui per omnes mundi partes signorum, & miraculorum, gratiâ clarescere non desistis, en peccatrix Anima mea procidens ante clementiam tuam, exorat protectionem tuam, credens esse potens tuum auxilium ante Summum Judicem Christum Jesum qui Te misit illum Apocalipticum Angelum ad annunciandum omnibus Gentibus lingvis & populis extremum suum judicium. Quod cum tanto fructu prædicasti: ut Saracenorum

ultra

ultra 8000. Judeorum ultra 25000. Hominum perditorum ac obstinatorum peccatorũ ultra 100000. impetrata illis per tuas orationes ac prædicationes gratia Dei converteres.

Quid ultra; ad Te portabantur ægroti & ad tactum manuum tuarum sanabantur, pone manum tuam supra sensus Animæ meæ & sana eam. quia peccatrix maxima est.

Ad Te veniebant surdi & auditum recipiebant, extende amantissime Patrone mi manum tuam in aures meas, ut si audiero vocem Creatoris mei me ad Te vocantem non obduretur cor meum, sæpi etiam spinis aures meas, ne suscipiant verba, Honori Dei, saluti Animæ, utilitati proximi, nocentia quomodocunq;.

Ad Te properabant muti & revertebantur loquentes recte laudantes JESUM & MARIAM. Tange lingvam meam ut ad laudem JESU & MARIÆ rectè loquar & ad salutem proximi, pone etiam custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labijs meis, da lingvam caute custodire, ac omnia potius mala quam Animæ detrimentum tollerare.

Ante Te cæci adducebantur quibus lumen oculorum signo Crucis restituisti: esto lumen oculorum meorum, quo mundi hujus tenebris carere valeam, visione JESU & MARIÆ tua intercessione in æternum gaudeam, ut de corporibus humanis spiritus infernales fugarentur, unicus tuus sufficiebat nutus, ne

Anima mea fiat habitatio dæmonum, fed inhabitet in ea virtus Chrifti, impetra o Sanctiffime Pater.

Plurimos mortuos revocafti ad vitam incipiendo à decimo juventæ vitæ tuæ anno refufcitare, vides o S. Vincenti in confpectu Judicis tremendi JESU Chrifti agonizantem aut jam demortuam Animam meam per peccata quotidiana & aliorum multorum quibus vita mea, verbo, & fcandalo, confimilis extiti mortis occafio. Me ergo & omnes peccatores revocare digneris in vitam & viam dignæ pœnitentiæ.

Ah! maxime poft Deum JESUM MARIAM Sanctiffimam, Dominicum, Hyacinthum o Patrone mi impetra mihi timorem Dei, quo mediante emendatâ vita meâ poffim apud Divinam mifericordiam mereri illud finali Decretū electis appromiffum: venite benedicti.

Fateor coram tota Cœlefti curia quod ob graviffima delicta mea deberem damnari à juftiffimo Judice Chrifto JESU, oro tamen corde contrito & humiliato Impetra remiffionem peccatorum, doleo enim quantum poffum, quod meis peccatis Divinam adufq; læferim Majeftatem.

Spondeo mutare vitam perfeverare in bono à præfenti momento ufq; ad mortem, & ne mundanæ occupationes fint impedimento intentionibus meis ego me tuæ Paternæ privilegiatæ o S. Patrone commendo Protectioni,

ni,

ni, fidendo quia feres auxilium in omnibus adversitatibus erumnis, calamitatibus ac angustijs meis.

Pater Pauperum es adjuva me, Consolator afflictorum es respice me, vita morientium resuscita me Præsidium oppressorum suscipe me, sic enim continua tua miracula & gratiæ qvotidianæ in universo orbe testantur, ubicunq; est notum Nomen tuum.

Hanc efficatiam Protectionis tuæ impetra mihi à Domino JESu Christo, àc Sanctissima Virgine MARIA cum cohabitatoribus tuis Cælicolis, in quorũ numero utinã sim & ego.

Supplico itaq; clementiæ tuæ ut tuam gloriam hic in terris contemplari valeam. Finitâ verò miseriâ â vitâ postea in Cœlis, Amen.

Benedictio Vini, Aceti, pro infirmis vel maleficio affectis.

EXorciso te creatura Vini in Nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritus ✝ Sancti, ne sis communis ulli Spiritui immundo ad Honorem Sanctæ MARIÆ & S. Vincentij Ferrerij, ut qui te devote biberit, & gustaverit, omnis Spiritus immundus ab eo recedat cum facturis suis, itaq; exorciso ✝ & benedico te, creatura Vini, in Nomine JESU Christi, & S. Vincentij Ferrerij, ut sis purgatio omniũ maleficiorum. Dignare, o S. Vincenti Ferreri hoc Vinum bene✝dicere & sanctificare ad

liberandas & sanandas creaturas Dei ab omnibus maleficijs & dæmonijs. O Domine JESU Christe sicut convertisti in Cana Galilex aquam in Vinum, ita bene✝dicere, exor✝cizare, & sancti✝ficare, tua pietate digneris hoc Vinum, ut sit remedium efficax contra omnem potestatem omnium inimicorum nostrorum & etiam contra omnes facturas, quæ factæ sunt, & factæ erunt, & nullus spiritus malus cujuscunq; generis possit latere in hac creatura N. quæ gustaverit hoc Vinum benedictum. Peto Domine per tuam Sanctam Passionem & Crucem, ut qui biberit ex hoc Vino benedicto mundetur à spiritibus immundis, & ab omni maleficio: & omnis virtus diaboli exterminetur & potestas tua, Domine, in virtute verborum tuorum prævaleat. O Domine, infunde tuam sanctam benedictionem in hoc Vinum, ut alligata sint vulnera sathanæ, & ego bene✝dico hoc Vinum & sancti✝fico in Nomine Sancto tuo, ut vulpes infernales demolientes hanc vineam tuam, ponentes eam in desertum una cum operibus suis, maleficijs & facturis destruantur confringantur & annihilentur. Succurre ergo, Domine & bene✝dic & sanct✝fica hoc Vinum ut sit Vinum gratiæ, scientiæ, sapientiæ, fervoris, & amoris ad sanandas tuas creaturas ex eo gustantes, bibentes, corpus reficiat, & corroboret, intellectum clarificet, cor lætificet, dolorem & tristitiam quamcunq;

cunq; expellat, maleficia cuncta destruat & annihilet â creaturis tuis ex eo bibentibus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Bene†dico hoc Vinum. & sancti†fico, ut sit tanquam Vinum, quod Christus dat suis devotis in convivio suo spirituali. Adhuc bone JESU, dic Verbum, & bene†dic, & sancti†fica hoc Vinum. Tandem bene†dico illud, & per hoc sanctum Vinum destruo omnia maleficia, & fugo dæmones per eum, qui torcular calcavit solus. Amen.

ABSOLUTIO SANCTISSIMI ROSARII.

Dicto Confiteor *ab Infirmo tenente Candelam benedictam, si potest, vel ab aliqua alia persona suplente, dicat Sacerdos:* Misereatur tui Omnipotens Deus &c: *usq; ad finem. Deinde dicat:* Indulgentiam, absolutionem &c: *pariter usq; finem. Deinde:*

DOminus noster JESUS Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atq; solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat Confessionem tuam, remittat tibi omnia peccata quæcumque, & quomodocumque in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus es: restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: & per Indulgentiam plenariam à Summis Pontificibus Innocentio 8vô. & Sancto Pio

5tô,

stô, Confratribus Sanctissimi Rosarij in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ pœnis; dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradisi januam aperire; teque ad gaudia sempiterna perducere; per Sacratissima suæ vitæ, Passionis, & Glorificationis Mysteria Sanctissimo Rosario compræhensa. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto Deus unus vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Postea benedicatur infirmus, primò cum Candela benedicta, dicendo In Nomine Patris &c. *Deinde cum Rosario dicendo*:

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & Reginæ Sacratissimi Rosarii descenndat super te, & defendat te, & maneat semper.

Tandem aspergatur aqua benedicta, si in principio non est aspersus.

FORMULA

Benedictionis impartiendæ in Articulo mortis constitutis, ab iis qui facultatem habent à Sede Apostolica, præscripta à SS. D. N. BENEDICTO PP. XIV. in Constitutione 5. Aprilis 1747. quæ incipit Pia Mater.

℣. Pax huic domui, ℟. Et omnibus &c.

Ant: Ne reminiscans Domine delicta Famuli tui, vel Ancillæ tuæ neq; vindictam sumas de peccatis ejus. Kyrie eleison &c: Pater noster &c: Et ne nos inducas &c: Sed libera

bera &c: Salvum fac: servum v. ancil: Deus meus sper: &c: Domine Exaudi &c: Dominus vobiscum &c:

O R E M U S.

Clementissime Deus Pater Misericordiarum & Deus totius consolationis qui neminem vis perire in Te credentem atq; sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarũ respice propitius Famulum tuum N. quem tibi vera fides & spes Christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti tui Passionem & mortem omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut Anima ejus in hora exitus sui Te Judicem propitiatum inveniat, & in Sangvine ejusdem Filij tui ab omni macula ablata transire mereatur ad vitam perpetuam. Per eundem Dominum nostrum &c:

Dicto Confiteor. Sacerdos Misereatur,

Dominus noster JESUS Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo, dedit potestatem ligandi atq; solvendi per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam & restituat tibi stolam primam quam in Baptismate recepisti.

Et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam plenariam & remissionẽ omnium peccatorum tibi concedo in Nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen.

Per Sacrosancta humanæ reparationis Mysteria remittat tibi Omnipotens Deus omnes

præ-

præsentis & futuræ vitæ pænas Paradisi Portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat Amen.

Benedicat Te Omnipotens Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

MEDITATIO IN CANTICUM SALVE REGINA.

Ex D. Bonaventura collecta, Exhortatiuncula.

AD salutandam B. Virginem, ait S. Bonaventura: debes primò ejus magnitudinem considerare: nec enim circa Filium suum potuit ampliùs elevari, quam ut Mater Dei vocaretur. Exultans ergo, & admirans magnitudinem Matris nostræ, devotè & reverenter ad ipsam accedens dicito: Salve: hoc dicto, statim in tuam resilias parvitatem & magnificentiam Matris Dei, & dic: patientiam habe in me, Domina, quod ego vilissimus hominum audeo assistere tanta Domina, & salutare præsumo Reginam Cælorum, Dominam Angelorum, & Matrem Dei nostri. Sed de tua benignitate, Domina, & humilitate, benigna confido, quod me indignissimum sustinebis. Et quamvis sis Arca Dei sine comparatione nobilior quàm arca veteris testamenti, & ego multò ignobilior; tamen cum te tetigero corde, & salutavero ore, non vereor percuti: sed tuo spero amore potius inflammari, & à tua pietate largissima in omnibus exaudiri, Ergo,

Sal-

SALVE REGINA

SUb tuo regimine, Domina, volo in posterum militare, ideoq; me totum tuo dominio committo: ut plenariè me regas & gubernes. Non mihi me relinquas, quia sum mihi ipsi contrarius nimis. Quidquid enim mihi concesseris, noveris miserrime destruendum. Sed cum plenus sim miseria, & a planta pedis usque ad verticem putrefactus, quomodo me regere dignaberis tam nobilis creatura? certè, quia tu es.

MATER MISERICORDIÆ,

VErè Mater es misericordiæ: quia non Jest in hac vita quis adeò desperatus, adeò miser, cui non impetres misericordiam saluturem, si ad tuum declinaverit regimen. Certè, Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno: nam pro miseris Mater Dei facta es, misericordiam insuper genuisti: ac demùm tibi miserendi est officium commissum. Multùm solicita es de miseris: hos in tuos filios adoptasti: hos regere, Domina voluisti; & ideo Mater misericordiæ Tu vocaris. Quid ergo de cætero formidamus? quid timemus? & quis à Te quod petierit non habebit? certè nullus, nisi qui se miserum non cognoscit: quia non subest tuo regimini nisi miser. Nos ergo miseri tecùm de cætero consolemur, tecùm amodo, Domina, habitemus: demùm Te totis visceribus amplectamur. Quia Tu es.

VITA

VITA.

VErè vita, quæ mortem superbiæ vicisti, & nobis vitam gratiæ impetrasti vitamq; gloriæ genuisti. O vita mirabilis quæ mortuos vivificas. O vita mortem non timens, mortem expellens: mortales constituens O certè vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis. O vita non senescens: sed potiùs senes ad juventutem reducens. O vita quæ nutris tuos Cœlestibus alimentis! O vita certè contraria vitæ mundi! Qui enim vult Te habere, se affligat, delicias respuat, delicataque contemnat, & qui ampliùs mortificatus fuerit, te ampliùs possidebit. O quis mihi tribuat, ut semper gaudeam beneficio hujus vitæ.

DULCEDO.

VErè dulcedo, quæ amaritudinem peccati expellis, impetrando veniam: quæ nobis gratiæ dulcedinem acquiris: quæ ad suaves Cœlestis patriæ contemplationes introducis. O dulcissima Domina, cujus sola memoria affectum dulcorat: cujus pulchritudo oculum interiorem exhilarat: cujus amœnitatis immensitas, cor meditantis inebriat. O Domina, quæ rapis corda dulcedine, nonne cor meum rapuisti? ubi, quæso posuisti illud, ut queam invenire? o raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis amicis tuis? nunquid ipsum cor meum semper vis tenere?

nere?

nere? cùm illud à Te postulo, mihi arrides, & statim tua dulcedine consopitus quiesco: cùm in me reversus, cor meum iterum postulo, me compl ꝯ cteris dulcissima, & statim inebrior amore tui, nec possum discernere cor meum à tuo neq; aliud novi petere nisi cor tuum. Sed ex quo est cor meum tuo dulcore sic inebriatum, guberna illud, quæso, cum tuo, & in Sangvine Agni immaculalatum illud conserva, & in latere Filij tanquam in refugio tutissimo colloca; tum assequar quod intendo, & possidebo quod spero. Quia tu es.

SPES NOSTRA.

NOnne Tu Domina es Regina? nonne Tu Mater es nostri premij? nonne Tu es quæ tantùm nos exaltare desideras? nonne nos sine comparatione plus diligis, bonumq; nostrum amplius procuras, quàm Mater carnalis? igitur sperent in Te qui noverunt Nomē tuum: quoniam non dereliquisti quærentes Te Domina. Certè, qui sperant in Te mutabunt fortitudinem, assument pennas ut Aquilæ, valabunt & non deficient, current & non laborabunt. Quis non speraret in Te, quæ etiam juvas desperatos? non dubito, si venerimus ad Te, habebimus quod volemus. In Te ergo speret qui desperat: qui deficit, ad Te accurrat, & dicat:

SALVE.

QUis enim nunc à tui salutatione poterit prohibere; cum & Vita, & Dulcedo, &

Spes nostra prædicens? & quia Regina nostra es, qui nos à tua reverentia poterit impedire? & quid est salutationem replicare; nisi Tibi sine fine reverentiam exhibere? quid est salutare, & iterum salutare; nisi salutem, & salutis profectum à Te Domina postulare? Salutamus ergo Te, ut gratiam per Te impetremus: Salutamus iterum Te, ut per Te possimus pervenire ad gloriam.

A D T E.

AD Te verè, quæ sola Deum genuisti, sola universam hæreticam pravitatem interemisti. Tu sola es Domina regni: tu sola es gubernatio præmij. Ad Te Matrem misericordiæ, Matrem certè, quæ nos lavas à fæcibus peccatorum: quæ nos consolaris in cunabulis vagientes, lactas parvulos esurientes: cujus brachijs sustentamur deficientes. Tu verè consolidas vulneratos: ad salutem perducis ægrotos. Et non solùm Mater: sed etiam medicina facta es miserorum, quæ es Domina Angelorum. Ad Te certè, quæ non derelinquis derelinquentes, quæ non respuis fugientes: quæ blandimentis nos allicis; delicijs nos foves & nutris. Ad Te igitur.

C L A M A M U S.

QUare non clamaremus, Domina, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus, qui inimicis undiq; circumdatur? clamamus angustiati, miserijs innumeris oppressi. Clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris

acerbitate, aut fortè erga Te amoris immensitate. Quare enim obdormis Domina? surge; adjuva nos. Clamamus etiam, ut miseriam nostram Tibi manifestemus: quia clamare necessitas nos compellit. Etiam ad Te clamamus, ut amplius Te ad compassionem moveamus. Quid ergo longius differs? si multùm tardaveris, voces clamando deficient, nec amplius clamare poterimus. Heu mihi, tunc quid faciam cùm nec exaudire me poteris, nec audire? Citò, citò, ô Domina, subvenias clamanti, ne deficiam in manibus inimici. Curre, festina, & me tuum, licet iniquissimum & infidelissimum servum ad Te clamantem, parcendo adjuva, & eripe de manu & periculis tui hostis. Si aliud, ô Domina, Te permovere non deberet, nisi quia tuus hostis audet nos tuos servos invadere fraudulenter, deberes ad nos juvandos festinare. Accurre ergo pia Domina, & libera nos, ut ejus superbia reprimatur. Accurre, ne inimici tui dominentur in nobis, aut dicant: ubi est Domina eorum, de cujus clementia confidebant? ne mireris, obsecro, quod anxij clamamus, à Te enim nimium sumus elongati: in regione longinqua dissipavimus partem nostram miseri; &

E X U L E S.

EXules à patria, exules à visione Divina: & utinam non exules à gratia, exules à consolatione Materna. O Anima, cur non potius

à cor-

á corpore separata es, quàm à pia tua Domina exul facta? si enim exules à Matre, exules es à Christo capite. Et quomodo misera sine capite poteris ambulare? Heu mihi, cur in tam longum exilium relegatus sum? quomodo, aut quando videbo Deum Salvatorem meum; aut quando saltem Dominam meam potero intueri? non dubito, Domina, quin Te tuumq; Filium plenè possidebimus, si corde tanquàm exules ad Te clamaverimus. Cur ergo volumus hic quiescere? Cur ad patriam non anhelamus? cur non affectamus Matrem dulcissimam amplexari? cur non desideramus cum Matre & Filio commorari? o Domina, dum hic vivimus, constituas nos exules: ne tanquàm in patria hic confidentes, Te & tuum Filium quærere desistamus; sic tamen constituas exules in corpore, ut semper tecum cives simus in mente. Nos

FILII EVÆ

VErè Filij Evæ, quia superbi, præsumptuosi, ambitiosi, gulosi & carnales, inobedientes, & breviter in omnibus ipsam Evam sequentes, ad malum proni, difficiles ad bonũ: & si contingat quandoq; nos filium bonorũ operum generare, eum magno cum dolore ac tristitia cordis parturimus: mala autem quæq; perpetramus cum lætitia: neq; sufficiunt nobis mala nostra, sed sicut misera Eva, ita & nos alios incitamus ad malum: & sicut ipsa, ita & nos in defectibus nostris excusa-

cusationes facimus; aut saltem si possumus, in alios retorquemus. Plus enim nobis placet eum sudore & labore multo vilia quæq; sectari, quàm Dominum gloriæ degustare, ipsumq; facillimè, dulcissimeq; possidere. Ideò nisi Tu Mater pijssima nos custodivisses & adjuvisses, dudum in inferni profundissima descendissemus. Non est quod nos valeat excusare, qui non Te, sed Evam in omnibus immitamur. Propterea

AD TE SUSPIRAMUS

Suspiramus autem ob tam bonæ Matris absentiam, ad Te venire desiderantes. Suspiramus ad Te, tuum Filium videre optantes. Nimius ergo amor cordis nostri, quo erga te, ô pijssima, incensi sumus, cogit nos ad Te suspirare. Quis enim non diligat reparatricem omnium, amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle, bonitatis thesaurum, honestatis speculum, omnisq; sanctitatis exemplum? Omnibus Tu amabilis, omnibus affabilis, omnibus delectabilis; sedes Sapientiæ, fluvius clementiæ, radius Deitatis; nec est qu se abscondat à calore tuo. Quis ergo non suspiret ad Te? quis sine Te, ô benigna Domina, in hujus vallis lachrymarum ærumnis ac periculis constitutvs solatium auxiliumq; inveniet? Itaq; suspiramus ad Te solatium miserorum, refugium expulsorum, liberationem captivorum, medicinam infirmorum, Matrem parvulorum, sponsam adultorum, Re-

gina

ginam bellatorum, Dominam universorum, etiam inimicorum: nec est qui tuæ voluntati queat obviare. Suspiramus ergo ad Te.

GEMENTES ET FLENTES IN HAC LACHRYMARUM VALLE

ACh, pijssima Mater ac Domina, nonne vides quomodo & qualiter sumus amaritudine pleni? intus sumus gementes, & exterius flentes: in loco lachrymoso jacentes. Onerati peccatis, gemimus; aggravati molestijs, flemus: abundantes miserijs in valle lachrymarum sumus. Gemimus sauciati, flemus spoliati, in valle lachrymarum sumus destituti. Gemimus solem justitiæ non videntes, flemus inimicis nostris servientes: in valle lachrymarum sumus tuum auxilium implorantes

EIA ERGO ADVOCATA NOSTRA.

O Laudabilis clementia Creatoris, qui sic afflictis, tam nobile & laudabile subsidium dignatus est elargiri. O certè Dei nostri mira benignitas, qui suis reis Te Dominam tribuit Advocatam. Quamobrem nihil dubitamus, quin misericordiam præstes miseris, nostramq; causam apud thronum gloriæ Dei sic semper agas, ut vindictam quam meremur clementer avertas. Hoc enim est quod cupit Deus, hoc est quod desiderat, hoc est quod Te Matrem constituit Advocatam. Eja ergo Advocata nostra.

IL-

ILLOS TUOS MISERICORDES OCULOS AD NOS CONVERTE.

NOn dubitamus, pijssima Domina, quin si nostras aspexeris miserias; miseratio tua optatum ac salutarem nobis ostendat effectum. Etenim peramabiles, & Divini oculorum tuorum sanctorum radij in nobis & tui sanctum amorem conciliant, & venenati Basilisci virulentum aspectum avertunt. Fac nos oculos nostros exteriores & interiores abstrahere ab omni vanitate, & tuo benignissimo aspectu sanari ac dirigi. Etenim aspectus oculorum tuorum tenebras pellit, catervas dæmonum fugat, vitia mentium, purgat, corda congelata resoluit calore sancto, ut ea tandem perducat ad Cœlestia. O quam beati, quos tui (ô dignissima Domina) aspiciunt oculi: Illos ergo oculos ad nos converte.

ET JESUM BENEDICTUM FRUCTUM VENTRIS TUI NOBIS POST HOC EXILIUM OSTENDE.

O Venter mirabilis, qui capere potuit totius mundi Salvatorem! O venter laudabilis, qui gestavit mundi Redemptorem! O venter desiderabilis, è quo emanavit desiderium piarum mentium, fluvius gratiarum, gloriæ cœlestis præmium! O venter non venter, sed cœlum Empyreum! in hoc ventre fuit pretium perditorum, fælicitas beatorum: Deus Angelorum. O beatus venter, ô beata viscera, ô beata ubera! O fælix venter, qui solem

genu-

genuisti, mundum reparasti, patriam recuperasti! O quam pretiosus venter, qui portavit medicinam infirmis, vitam mortuis, & Paradisum justis. O venter amabilis, dulcedo Animæ! O elevatio mentium, inebriatio cordium, sanitas peccatorum! Fructus tuus, Domina, fructus sanè benedictus & beatus est principio ortus sui Ipse est JESUS Dei vivi Filius. Ipse per Te nobis datus, ut esset Salvator mundi: & tandem Judex vivorum & mortuorum. Hunc ergo nobis post hoc exilium ostende benignum.

O CLEMENS, O PIA, O DULCIS VIRGO MARIA.

O Clemens indigentibus, Pia exorantibus, Dulcis diligentibus. O clemens pœnitentibus, pia proficientibus, Dulcis contemplantibus. O clemens liberando, Pia largiendo, Dulcis Te donando. O clemens consolando, Pia blandiendo, Dulcis osculando. Clemens es subjectis, Pia correctis, Dulcis prædilectis O clemens, ô Pia, ô Dulcis Virgo MARIA. Amen.

Exercitium Quotidianum.

Ex Fasciculo Romano Rmi P. Magistri Generalis Antonij Bremond. impresso. Anno Domini 1752.

MAne somno excitatus statim ad Deum mentis oculos converte, præmissisq; dum surgis orationibus, ad orationem genuflexus, hæc 4. puncta breviter & devote meditare.

1. Dei in te beneficia communia & particularia pensabis & pro illis gratias ages, maxime pro transactæ noctis Custodia.

2. Offeres te & omnia tua, in holocaustum & hostiam laudis & gratitudinis.

3. Omnium peccatorum tuorum & præsertim illius noctis veniam deprecatus, firmiter propones vitam emendare & Deum eo præsertim die non offendere in hac aut illa occasione (quam ex illius diei negotijs poteris providere) aut in illis in quibus sæpius deliquisti.

4. Ad id Divinam gratiam humiliter implorabis atq; B. V. MARIÆ, Angelo Custodi tuo, SSq; commendabis.

In Nomine Patris † & Filij† & Spiritus † S.

BEnedicta sit Sancta & individua Trinitas, nunc & semper & per infinita sæculorum sæcula Amen. *Pater noster: Ave Maria: Credo: Confiteor: Misereatur: Absolutionem &c:*

DIgnare Domine die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine miserere nostri. Fiat misericordia tua Domine su-

per nos quemadmodum ſperavimus in Te. Domine exaudi orationem meam, &c:

O R E M U S.

DOmine Deus Omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire feciſti, tua nos hodie ſalva virtute ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam, noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per C. D. N.

DIrigere & Sanctificare digneris Domine S. Pater Omnipotens æterne Deus, hodie corda & corpora noſtra, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum ut hic & in æternum te auxiliante ſemper ſalvi eſſe mereamur. Per C. D. N. A. O Domina mea S. MARIA, &c: Angele Dei qui cuſtos es mei me tibi commiſſum, pietate ſuperna hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna, Amen.

Dominus nos benedicat & ab omni malo defendat & ad vitã perducat æternã Añ. Et fidelium animæ, &c: Angelus D. nunciavit &c: Ave Maria &c: *Oratio* Gratiam &c: Ante Officium *Oratio* Actiones noſtras &c; poſt Officium

Suſcipe Clementiſſime Deus precibus & meritis B. MARIÆ ſemper Virginis & Omnium Sanctorum & Sanctarum Officium ſervitutis noſtræ, & ſi quid dignum laude egimus, propitius reſpice & quod negligenter actum eſt, clementer ignoſce, qui in Trinitate perfecta vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum, A.

Ante ſtudium v. *prædicationem*, Veni S. Spi-

ritus

ritus &c: ℣. Emitte Spiritum &c: Deus qui corda fidelium, &c.

Oratio Aures & oculos cordis mei Domine JESU Christe aperi, ut audiam & intelligam sermones tuos, & paream tuæ voluntati, Peregrinus sum ego in terra, mandata tua ne me celaveris, patefac oculos meos, ut quæ sunt admirabilia in lege tua, intelligam: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ intellectum, meum illuminet cor meum purificet, affectum meum inflammet, ad cognoscendum te & amandum Dominum Deum meum in omnibus & super omnia.

Oratio S. Thomæ Aquinatis. Creator ineffabilis &c: *Exeundo Cellâ.* Vias tuas Domine &c: Gressus meos dirige &c: Perfice gressus meos &c: Utinam dirigantur viæ meæ &c: *In introitu Ecclesiæ.* Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam & confitebor Nomini tuo Domine.

Oblatio Quotidiana Actionum.

O Domine quantum me pudet enormis ingratitudinis meæ, concede ab hinc quod Tibi prompte serviam ac fideliter in timore & tremore.. Rogo Te o Sanctissima & Individua Trinitas, per Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem & misericordiam tuam! digneris mihi gratiæ tuæ largissimam benedictionem conferre, ut ad Te unicum meum Excellentissimum finem, ad Honorem & gloriam tuam semper dirigantur omnes meæ co-

gitationes, eloquia & opera. Per D.N.J.C.A.

SSS. Trinitas. Summa & tremenda. Majestas Tibi hodie offero oẽs meas cogitationes verba & opera, omnium potentiarum, membrorum, ac sensuum animæ & corporis, usum, motus, & operationes bonas, & in differentes, ad Majorem Dei, & Domini nostri JESU Christi, B V. MARIA OOq; Sanctorum & præcipue S. NN. honorem laudem & gloriam, ex omnibus Sanctis & supernaturalibus omnium virtutum motivis.

In unione prætiosissimi Sangvinis Salvatoris mei JESU, pro mea & omnium meorũ specialiter intentorum NN. vel recomendatorum & pro quibus Tu pissime Domine scis & vides, me debere & velle orare hodie, omniumq; simul fidelium vivorum & mortuorum salute animæ, & corporis, pro remissione peccatorum, gratiâ, auxilio, & consolatione S. Spiritus impetranda.

Declarando & protestando expresse, quod ad omnes horologij sonitus, aut cordis mei suspiria, sive quoties dixero. *Deus meus* vel quid simile, renovo, istam intentionem semper pro actuali valere, è contra, omnes distractiones, obreptiones, vel diabolicæ suggestiones, aliaq; huic intentioni meæ contraria ac Deo meo displicentia, invalida, irrita, nulla, & rejecta esse, ac permanere debeant. In Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen.

In

Exercitium Serotinum.

In Nomine Patris † & Filij † & Spiritus † S. A.

BEnedicta sit Sancta & individua Trinitas nunc & semper & per infinita sæcula sæculorū A.

Pater noster: Ave M: Credo: Confiteor Deo &c:

TE lucis ante terminū Rerū Creator poscimꝰ Ut solita clementia. Sis Præsul ad custodiā. Procul recedant somnia Et noctiū phantasmata Hostemq; nostrū comprime Ne polluantur corpora. (minum.

Præsta Pater Omnipotens Per Jesū Christū Do-Qui tecū in perpetuū Regnat cum S. Spiritu A.

Salva nos Domine vigilantes custodi nos dormientes ut vigilemus cum Christo & requiescamus in pace. Custodi nos Domine ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos. Dignare Domine nocte ista sine peccato nos custodire, miserere nostri Domine miserere nostri. Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in Te.

Domine exaudi &c: Et clamor &c:

Oremus. Visita quæsumus Domine habitationem istam & omnes insidias inimici ab ea longe repelle & Angeli tui habitantes in ea nos in pace custodiant & benedictio tua sit super nos semper Per Christum D N. A.

Angele Dei qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte, illumina custodi rege, guberna Amen.

Benedictio. Benedicat & custodiat me Omnipotens & misericors Dominus Pater & Filius & Spiritus S. A.

Examen Conſcientiæ.

Corde & animo coram Deo proſtratus ſequentia puncta breviter meditaberis & attente.

1. Redde gratias Deo qui te hoc die vivũ ſervavit & à multis periculis liberavit.

2. Vocata ad examen conſcientia diligenter conſidara, quid eo die cogitaſti, quæ locutus es, & quæ feciſti, quod facile perficies ſi videbis attente ubi fuiſti, & cum quibus converſatus es.

3. In quibus te deliquiſſe reperies, ex toto corde dolebis cum propoſito emendationis, & Sacramentalis confeſſionis.

4. Dei gratiam ad emendationem vitæ, ejuſq; ea nocte protectionem, contra omnia corporis & animæ pericula devote implorabis.

Peracto Examine Conſcientiæ, Litania Lauretana Beatæ Virginis MARIÆ 200. dierum Indul:

HYMNUS.

CHriſte qui lux es & dies, noctis tenebras detegis, Luciſq; lumen crederis, Lumen beatum prædicans.

Precamur S. Domine, Defende nos in hac nocte

Sit nobis in Te requies, Quietã noctẽ tribue.

Ne gravis ſomnus irruat, Nec hoſtis nos ſurripiat.

Ne caro illi conſentiens, Nos tibi reos ſtatuat

Oculi ſomnũ capiant, Cor ad Te ſemper vigilet,

Dextera tua protegat, Famulos qui te diligunt.

Defensor noster aspice, Insidiantes reprime.
Guberna tuos famulos, Quos Sangvine mercatus es.
Memento nostri Domine, In gravi isto corpore
Qui es defensor animæ, Adesto nobis Dñe.
Maria Mater gratiæ &c: Gloria Tibi D. &c:
Antyph: Evigila super nos æterne Salvator &c
Sub Tuum præsidium confugimus &c:
Angeli & Archangeli Throni & Dominationes Principatus & Potestates, virtutes Cœlorum laudate Dominum de Cælis & orate pro nobis. Magne Pater S. Dominice &c:
Memor Pater o Hyacinthe naturæ &c.
Adsit nobis propitius in hujus vitæ vespere &c:
Christi pia gratia Sanctos sublimavit &c:
Sancti Dei omnes intercedere &c:
℣℣. Post Partũ Virgo &c. Dei Genitrix &c.
Pie Pater Dominice Tuorum &c.
Tuum fac Domine sentiamus auxilium &c.
Ora pro nobis B. Vincenti &c.
Exultabunt Sancti in gloria &c.
Orate pro nobis omnes Sancti Dei,
Domine exaudi orationem &c: Et clamor &c.

OREMUS.

Protege Domine famulos tuos subsidijs &c:
Deus qui miro ordine Angelorũ ministeria &c.
Concede quæsumus Omnipotens Deus ut qui:
Deus qui B. Hyacinthum &c:
Deus qui Gentium multitudinem &c.
Concede quæsumus Omnipotens Deus ut ad:
Tribue quæsumus Domine omnes Sanctos &c:

Pater noster. *Ave Maria.* & *Credo in Deum.*

Exuens te poteris recitare Psalm: Qui habitat in adjutorio altissimi &c: & *Psal.* Miserere mei Deus.

Decumbens signabis te signo S. ✠ *dicens:* In Nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen.

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filij & Spiritus Sancti descendat super me & maneat semper. O JESU esto mihi JESUS. SS. Virgo MARIA Mater Dei, memento mei.

Ad SSmam Eucharistiam Actus Fidej.

O Deus! o Ens entium. o Author rerum omnium,
Me corā Te prosterno Quē fide sola cerno
En credo quod Tu Deus sis, Et quod Remunerator sis.
Nam gaudia Cœlorū Sunt præmia justorū
Qui vero Te despiciunt Mandata tua non custodiunt.
Tu vindex es eorum Per pænas infernorum
Hoc Verbum Dei Filius Quo nihil mirabilius
Hic carne se vestivit, Se seq; exinanivit
Hic panis sub velamine Et corpore & sangvine
Divino nos saginat Se totum nobis donat.
Hæc credo hæc confiteor, Sic Deus à Te doceor
Qui fallere non potes Qui nec falli potes
Et cū hic credo ōnia. Quæ credi vult Ecclesia,
Magistra Sanctitatis Columna veritatis
Tu Deus me corrobora Infirmā fidē adjuva
Et Tibi immolabo Pro fide vitam dabo.

Actus Spei dicendi devote.

O Deus in Te unico, Spē meā semper colloco
Nā quidquid est bonorū, Largitor es eorū
Primo Cœlestem gloriam Per tuā spero gratiā
Ad illam me creasti Per hanc me elevasti.
Deinde spero veniam Et veram pœnitentiam,
Meorum peccatorum Cunctorum debitorū.
Præsentia præterita. Per Jesu Christi merita,
Delicta condonabis Æternum non damnabis
A Te perseverantiam, Finalem spero gratiam,
Hanc solam si donabis, Æternum me beabis,
Hæc certa cum fiducia Et cum his bona omnia
Expecto Te donante Et me cooperante.
Cum auxiliator sis. Hinc me juvare scis & vis
Juvante Te certabo, Cursumq; consummabo
In Te sperabo Domine In tuo Sancto Nomine,
Fac nunquā ut confundar Te sine fine fruar.

Actus Charitatis.

O Deus ego amo Te Ex toto corde amo Te,
Ex tota mente amo Te, Tota virtute amo Te
Te Pater dilectissime Te Fili amantissime,
Te Spiritus Divine Te Deus unus trine.
Te amo super omnia Caduca mundi gaudia,
Nil æstimo honores Nil gazas nil voluptates
Si nulla dona gratiæ, Si nulla dares gloriæ
Amarem Te o Deus O JESUS amor meus.
Et hinc o Deus doleo Peccata mea defleo,
Heu fateor peccavi, Et ut ovis aberravi.
Sed jam nil magis execror, Offensas meas deprecor,
Da veniam roganti. Ah parce supplicanti

Per tua sancta vulnera Per Matris tuæ viscera
O JESU Fili Dei, Ah miserere mei Amē.

Actus Contritionis.

HEu mihi quid feci o Domine! quoties mandata tua transgressus sum, quoties contra Te Deum, & proximum, contra me ipsum deliqui, quoties Regulam & Sanctissimas Leges tuas transgressus sum.

O JESU, Salvator mi clementissime propter me miserum peccatorem Crucifixe, en ego peccatorum primus, coram Te prostratus quid loquar nescio. Terret me tota vita mea o JESU quia discussa, aut peccatum aut sterilitas est, imo tota vita mea aliud non est, quam longa vitiorum catena; fateor iniquitates meæ super gressæ sunt caput meum & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

O Deus! o Pater! o Judex! meus ego coram Te plenus ulceribus, sordibus, miserijs, vitijs concupiscentijs pavesco & ante Te erubesco.

Pater peccavi coram Te, non sum dignus vocari filius tuus, verum tamen surgam & ibo ad Te Patrem meum. Agnosco lumiñe fidei, quod Tu sis Pater meus Salvator & Sanctificator meus, credo quod possis & velis omnia peccata mea mihi dimittere. Tu enim dixisti nolo mortem peccatoris sed ut convertatur & vivat.

Spero & confido in Te quod ea quoq; omnia mihi sis remissurus. Tu enim fidelis Deus mihi id promisisti.

En ego per gratiam tuam convertor ad Te abhorreo & execror, omnia peccata mea, detestorq; super omnia alia mala, sive fortunæ, famæ, sive corporis & animi siquidem nulla fœdior turpitudo, quam peccati.

Doleo ex toto corde, & tota tribulatione animæ meæ quod unquam offenderim Te, pudet me peccasse, pœnitet me Regulam & Mandata tua violasse, ah utinam nunquam Te Offendissem.

Doleo quod offenderim Te Judicem, justum meum & severum vindicem malorum. Magis doleo quod offenderim Benefactorem meum Creatorem Salvatorem, pro me tanta passum, maxime doleo quod offenderim Te Deum meum amabilissimum, omni amore dignissimum Bonum super omne bonum, Bonū infinitum omni bono gaudere dignissimum.

Doleo, non jam alia de causa, quam quia offendi Te quem super omnia appretiative amo & quantū possum intentissime amare desidero.

Deprecor Majestatem tuam & obtestor Te per pretiosissimum Sangvinem, mortem, & infinita merita Filij tui D. N. JESU Christi, miserere mei o Deus secundum magnam misericordiam tuā, & omnes iniquitates meas dele.

Facio firmissimum propositum cum tui gratia, de cætero non peccandi, & proximas occsiones illas NN. evitandi.

Cupio & statuo media ad finem meum necessaria adhibere, & pijs operibus peccatorum maculas eluere.

In ſatisfactionem etiam peccatorum meorum, ad impetrandam perſeverantiam in gratia tua, offerro Tibi o Deus Paſſionem, mortem, ac univerſa merita Filii tui, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ & omnium SSrum tuorum, omnia bona opera juſtorum in hac vita, omnes Indulgentias quas unquam lucrari potuero, paratus omnia mala, & mortem amore tui pati. O Domine hic ure, hic ſeca, hic non parcas ut in æternum parcas.

Confirma hoc Deus quod operatus es in me, perfice deſideria mea, & propitius eſto mihi peccatori nunc & in hora mortis meæ Amen.

O R A T I O.

Ardens B. Bartholomei de MM. Ords; Præd: Archiepiſcopi Bracharenſis Hiſpaniæ Primatiꝰ pro impetranda charitate.

OBteſtor Te exorabilis Pater per venerandam Filii tui humilitatem, ut repellas à ſervo tuo omnē animæ faſtum, & arrogantiam, omnem oſtentationem & inſolentiā, omnem inanis gloriæ appetitum, amarulentiam, & dolum omnem, ſimulationem, contentionem, pertinatiam, nullumq; indicium elati animi aut vani, in verbis aut moribus meis appareat.

Ne permittas me privari aliquando donis miſericordiæ tuæ, nunquam alium deſpiciam, nunquam alicui me præponam, nunquam me extollam, deprime cervices mei interioris hominis, ſim ſemper parvus in oculis meis, da mihi cor humile, tractabile, benevolum, (quod

ami-

amicos diligat in te,) inimicos, vero propter te, mansvetum, tranquillum, serenum, Cœlesti igne semper æstuans.

Da mihi cor de Fratribus bene sentiens, in adversitate ac peccatis aliorum dolens, in prosperitate vero de eorum meritis exultans, cor deniq; flens cum flentibus, gaudens cum gaudentibus Cor meum saxeum scinde potentissimæ tuæ virtutis novacula, & intime imbue tua svavissima unctione, ut sit p ū molle, tenerum, semperq; ex aliena, calamitate compassione moveatur, ex recordatione tuæ inenarrabilis dulcedinis colliquescat.

Scaturiat in me Domine tuæ misericordiæ munere Sanctarum ac dulcium lachrymarum vena, quibus abluar, nutriar, saner, refrigerer; erumpat ex oculis meis tua visitatione perculsis fons aquæ hujus quæ ex intimo tui amore, & Cœlestis Patriæ desiderio exoriatur. Ne quæso mihi extremæ oviculæ tuæ optatissimā hujus gratiæ deneges portiunculam, qua Patres nostros largissima liberalitate perornasti, alioquin scio quod interno gelu obrigescā.

Converte obsecro aridam sterilemq; cordis mei terram in fertilem & irriguam. Ego pro odiosa cordis mei duritia offero Tibi gratissimam pietatem cordis Unigeniti tui ut illa hac expietur. Da mihi nulli penitus esse injurium, erga neminem male affici nullius improbitate perturbari, imo omnium mores, imperfectiones, ignorantias, æquanimiter ferre:

res amor tuus ita me teneat ac reddat occupatum ut fratrum meorum defectibus, nunquam immorari velim.

Pater clementissime; da ut effrenati ac præcipites animi mei motus à me propellantur & omnia quæ agenda sunt, tranquille, opportune composite, in tuo nomine aggrediar ac perficiam. Largire mihi Domine Sanctæ quietis, ac otij secretum ne permittas me turbulento hujus maligni sæculi spiritu vexari, nec improbis externarum rerum occupationibus distrahi. Sed libera spiritum meum ab impedimentis omnibus, ut tibi libenter serviam, quamdiu hujus corporis carcere detineri contingat.

Hæc sit pars mea hæc consolatio exilij mei ut ab inquietis curis prorsus expeditus tibi vaccem laudes tuas canam, in te exultem, tibi adhæream, in te conquiescam sedeamq; in silentio, ut sic pacato animo suscipere possim vocem, & doctrinam Cœlestis sapientiæ. His studijs peregrinationis meæ tædium mitigem & calamitosæ hujus vitæ molestias æquanimiter perferam.

Igitur Deus meus dulcissime ardor svavissime consume prorsus quidquid in me Tibi displicet, & quidquid mihi obstat ne Tibi plene uniar.

O Mare magnum totius dulcedinis, absorbe me, demerge me in tui amoris abyssum ut ibi absorptus, non mihi sed tibi vivere possim.

O lumen semper lucens illumina me.

O ignis

O ignis qui semper ardes nunqum extingveris accende me.

O amor qui semper ferves & nunquam tepescis absorbe me, & tranforma me in Te saucia me jaculo amoris, & medullas tepentes flammis incende salutaribus. Scribe digitto tuo, in pectore meo dulcē tui memoriam, quam nunquam ulla oblivio deleat tribue visum, qui lucem tuam incomprehensibilem intueatur cui omne aliud visibile, præter tuæ claritatis radios molestum sit.

Largire auditum cui solum jucundum sit dulcissimam vocem tuam audire, crea in me olfactum, qui non nisi ungventorum tuorum odorem percipiat. Forma palatum, quod nil præter sapores tuos & svavitatis tuæ abundantiā gustare possit. Tam potenti flamma amoris tui medullas ac omnia interiora mea exurito, ut consumptis vitiosis cordis mei affectionibus, ignitis tui desiderijs tantummodo æstuem. Impingva deniq; me adipe & pingvedine tua, ut labijs exultationis laudet Te os meum, Amen.

O R A T I O.

S. BonaVentura C. E. D. ex eodem B. Bartholomæo de MM. O. P. summe deVota.

DOmine Deus quis ego! nequissimus ac vanissimus homo, stercus vermisq; fœtidissimus. Tu autem omne bonum honestum & pulchrum, omnis utilitas, omnis svavitas, fons melodiæ, fons dulcoris, fons amoris, & inti-

mus

mus dilectionis amplexus. Tu rogas me, & ego te fugio, de me sollicitus es, & ego nihil de Te curo; Tu mihi semper servis ego semper Te offendo. Te mihi tribuis, ego Te contemno, mei, qui pene nihil sum diligis, ego Te infinitum & inenarrabile bonum sperno, fœtorem, horrorem, mortalem dolorem Tibi præponens.

Plus me allicit vanitas quam æternitas, execranda miseria, quam summa felicitas plus sordes quam pulchritudo, servitus quam libertas, amaritudo quam dulcedo.

Quid faciam miser quo ibo? Tu amantissime Pater vis à me amari & hoc à me exigis. Tu pene scis & vales hæc in me operari, tene ergo me amore tuo restringe me amore tuo, prævale tu mihi non prævaleam ego Tibi.

Scio & intime doleo me totam substantiam dissipasse cum amorem tibi debitum in creaturis tuis lascive collocaverim, nunc autem inopiam meam, considerans, & egestatem cognoscens. famelico appetitu ad viscera misericordiæ tuæ redeo: radijs quæso misericordiæ tuæ mihi occurras, tuæ pietatis oculis me cognosce, amplexare, & osculare me osculo pacis.

O! quando licebit mihi emori ut vita mea in Christo sit abscondita

Quando quiescam in Centro meo Christo!

Quando ejus Sangvine inebriabor?

Quan-

Quando cor meum erit unum cum Ipso?
Quando erit ille totus meus, & ego totꝰ suuꝰ?
Quando cor meum unum fiet cum Ipso.

IGitur JESU Bone refove me visceribus, refice uberibus, inebria vulneribus, purum lachrymarum fluvium concede; si de voluptatis ac delitiarum fonte, si de Christo pendente in Cruce egressus est fluvius lachrymarum; æquius est ut de me, qui locus sum sordium egrediatur.

Felix anima contemplantis, in qua requiem invenit omnium Creator, cui etiam dicere licet: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* negare enim requiem non poterit animæ, quæ illi in hac vita requiem præparavit.

Anima mea attendas quæso quod sublimis ille Rex gloriæ, Te in domum sibi gratissimâ elegerit quam toti huic universali machinæ proponit,

O R A T I O.

S. Augustini pro dono lachrymarum.

DEus refugium meum & unica spes miserorum cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur præsta mihi hanc gratiam propter Te, propter Nomen Sanctum tuum, ut quoties de Te cogito de te loquor de Te scribo de Te lego, de Te confero quoties tui reminiscor, Tibi assisto, laudes preces & sacrificium offero, toties obortis lachrymis, in conspectu tuo copiose & dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.

Tu

Tu enim Rex gloriæ & omnium virtutum Magister, docuisti nos verbo & exemplo gemere & flere dicendo Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Tu deflevisti defunctum amicum Lazarum, Tu lachrymas effudisti super Civitatem Hierusalem, quam videbas perituram.

Rogo Te o Bone JESU per illas pretiosissimas lachrymas tuas & per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, da mihi per Spiritum Sanctum tuum qui dura peccatorum corda emollit (nam sine dono tuo quod peto consequi non possum) da mihi hanc gratiam ut sic compungar & pijs lachrymis peccata mea defleam.

Da mihi gratiam lachrymarum sicut dedisti Patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt die ac nocte, propter merita & orationes eorum, qui Tibi placuerunt & devotissime servierunt, miserere mei miserrimi & indigni servi tui.

Da mihi hanc gratiam compunctionis: sic animum meum irriga, ut sim in conspectu tuo holocaustum pingve adipe & medullis compositum, Tibi in odorem svavitatis. Da mihi hanc gratiam benedicte & amabilis Deus, ut ex multa dulcedine amoris tui, omnia ea quæ contra Te facio, quæq; Tibi displicent, detester & deplorem.

Tribue pro bonitate tua, ut pretiosus ille ca-

lix' tuæ Passionis mihi sapiat, meq; inebriet, ut ex commoratione tuæ Paternæ miserationis ad fletum promovear, & sic in amorem tui mens mea accendatur, ut omnis mundanæ vanitatis obliviscar. Exaudi me Deus, audi lumē oculorum meorum audi quæ peto, & da ut petam quod audias.

Pie & misericors Domine ne efficiaris mihi inexorabilis, propter peccata mea sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui. O Domine da mihi effectum desiderij mei propter præces & merita. Gloriosæ Virginis MARIÆ Dominæ meæ & omnium SSrum, Amen.

Modus brevis Quotidianæ Meditationis.

1. Humiliationis præsenta te Deo, *& statue te in mente, ut leprosum & abominabilissimum peccatorem, humili corde vulnera mortalia Cælesti Medico aperi & confidenter cum filio prodigo vestem nuptialem exora.*

2. Memento Beneficiorum Dei, *& ea ante oculos tuos pone, tuamq; ingratitudinem illis obijce, cū cordiū lachrymarū effusione à Benignissimo Salvatore ad compensandū ea exposce auxilium.*

3. Memento vitiorum eradicandorum & bonorum operum plantandorum, *& quotidie aliquod malum extirpa, in locum ejus virtutem planta & firmis propositis in horas promove juxta dictum* S. Notkeri vis plantare virtutis lilia, prius evellas vitiorum lolia.

4. Scripturas Sacras & meditationes lege, *cum mentis elevatione, affectus internos cum Deo conjunga*

conjunge, totũ se in sinum dispositionis ejus projici.

Per triplicem viam. Purgativam, *quæ est dolor de peccatis, pudor & confusio de commissis. Timor Divinæ justitiæ, desiderium benevola mortificationis, omnium peccatorum detestatio, pro eis condigna sati factio.*

Illuminativam, *quæ est amor virtutis, spes acquirendi eam, delectatio ejus pulchritudinis, contemptus terrenorum, sui ablegatio, Iesu Christi D. N. Electorumq; ejus imitatio.*

Unitivam, *quæ est amor Dei & beneficiorum ejus, ex perfectionum consideratione proveniens, quo voluntas in Deum fertur per amorem, ejusq; voluntati se conformat atq; ad perfectã cum ipso unionem aspirat.* Unde zelus animarum, lætitia quotidiana de peccatorum conversione, admiratio, & gratulatio de perfectionibus & progressionibus, deniq; continuum ad fontem vitæ suspirium.

Primo ergo quotidie de virtute omissa meditare de neglecta doleas, ad ejus sequelam Jesu Christi exemplo inardescas. Tandem in effectibꝰ amoris & gratitudinis erga Deũ in horas proficias, sic supposita oratione opus succedet.

O R A T I O.

PAter Æterne Deus Clementissime ego sum ille peccator, qui peccavi & in sceleribus meis delectatus sum, nunc vero de eis conteri nequeo. Ego tua creatura, ut me segregares ex utero Matris meæ, & vocares ad statum Religiosum per gratiam tuam, & revelares Filium tuum Unigenitum in me peccatore.

Ideo ad Patrem amabilem confugio, humiliter precor ut verum dolorem de peccatis dones eorumq; displicentiam tribuas in tantum, ut magis de offensa tua minima doleam, quam de ulla re quæ in præsenti vita possit mihi occurrere.

O Rex Regum svavissime Jesu qui factus es mortalis ut ego essem immortalis, natus es in tempore ut ego vivam æternum, cujus me bonitas hucusq; servavit, imo cujus misericordia ad pænitentiam hucusq; expectavit & pereuntibus singulis horis, tot millibus mihi pepercit. Quomodo amator fidelissime animæ meæ fieri potuit, ut ego miser ad eam insaniam pervenirem, ut Te Fontem vitæ pro fædissimis commutarem peccatis, o me insipientem! qui summũ bonum cum momentanea & turpi voluptate commutavi.

Dic mihi o anima mea quod lucrum ex omnibus peccatis tuis retulisti præterquam confusionem tota vita plorandi, cur ergo tam summum bonũ offendisti? an quia te ex nihilo creavit? an quia vitam quam sine ipso habere non poteras tibi contulit? an quia cum esses à Regno Cœlorum exclusa, sangvinem cum vita profudit, ut te cum Deo reconciliaret, ac ad beatitudinem amissam reduceret.

O quam infinita est patientia tua JESU Clementissime, quomodo me tam ingratam creaturam, tam diu tollerare potuisti fieri ne potuit ut cum ego te offenderem, tu mihi vires & vitam, quibus te oppugnabam subministrasti.

Igitur anima mea geme, suspira, toto corde plora expia facinora; nec cesses à lachrymis.

O JESU benignissime adjuva me & salvus ero. Servus tuus sum, da mihi auxilium gratiæ tuæ & vivam. En Sanctissimæ voluntati tuæ offero me totum in omnibus actionibus meis. Tibi Redemptori meo adherere cupio, simulq; propono de peccatis meis vindictam de me sumere, vitamq; potius amittere quam denuo peccare.

Igitur Beatitudo mea, dulcissime JESU, amo Te ex toto corde nec me aliqua tribulatio ab amore tuo seperabit Esto igitur JESU refugium meum & lætitia cordis mei. Esto Dux meus in vita mea fragili in qua ambulo, in Te Redemptore meo obdormiam in manibus tuis vitam finiam & in sinu tu Paterno. O Amor meus requiescam.

Pro impetranda, Felici morte S. Bernardi.

ILlumina Domine oculos meos ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus prevalui adversus eum.

In Manus tuas commendo Spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Locutus sum in lingva mea, notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum ut sciam quid desit mihi. Fac mecum signum in bonum ut videant qui oderunt me & confundatur, quoniam Tu Domine adjuvisti me & consolatus es me. Dirupisti vincula mea Tibi sacrificiabo hostiam laudis & Nomen tuum invo-

invocabo. Perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam. Clamavi ad Te Domine dixi; Tu es spes mea, portio mea, in terra viventium.

Gloria Patri & Filio &c: Domine exaudi &c:

O R E M U S.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Ezechiæ Regi Juda, Te lachrymabiliter deprecanti vitæ spatium protendisti, concede mihi famulo tuo ante diem mortis meæ: tantum spatium pœnitentiæ, ut omnia peccata mea valeam deplorare, & veniam ac gratiam te miserante invenire. Per Dominum nostrum J. C.

O R A T I O,

Quotidiana ex S. Vincentio Ferr: C. O. N.

O Domine JESU Christe, ego quamvis indignus & miser peccator firmiter & puro corde & ore ad plenum confiteor sanctam fidē Catholicam, omnes & singulos ejus articulos, sicut alma Mater Ecclesia Romana prædicat, docet & tenet, sed cum multa Domine occurrant pericula & varia tentamenta si forsan (quod absit) occasione ipsorum, aut in articulo mortis aut alias per alienationem intellectus ab ipsa sancta fide deviarem, aut alicui peccato consentirem, protestor, nunc pro tunc & e contra, coram tua Sanctissima Majestate & tua gloriosissima Matre V. MARIA, Sancto Angelo meo Custode & Patre meo Divo Dominico & omnibus Sanctis quod in hac sancta fide Catholica, & in plenitudine fervoris, ejusdemq; fidei, in sinu

sacro-

ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ Matris meæ, quæ neſcit claudere gremium redeunti ad Te ſine conſenſu alicujus peccati, volo ſemper vivere & mori. Amen.

Miſerere mei Domine & exaudi orationem meam? Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum. Sana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Miſerere mei Domine & vide humilitatem meã de inimicis meis. Miſerere mei Domine quoniam tribulor conturbatus eſt in me ſpiritus meus & venter meus.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Miſerere mei Domine quoniam conculcavit me homo tota die impugnans tribulavit me.

Miſerere mei Domine miſerere mei, quoniam in Te confidit anima mea, miſerere mei Domine quoniam ad Te clamavi tota die; lætifica animam meam, quia eam levavi ad Te.

Miſerere noſtri Domine miſerere noſtri, quoniam multum repleti ſumus deſpectione. Gloria Patri & Filio &c.

OREMUS

DOmine JESU Chriſte qui non vis peccatoris mortem, ſed ut convertatur & vivat, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur. Tu enim Ore tuo Sanctiſſimo dixiſti, quidquid petieritis in Nomine meo, fiet vobis. Peto Te propter Nomen tuum Sanctiſſimum JESUS, ac Sanctiſſima Vulnera tua

ut in hora mortis meæ concedere mihi digneris integritatem ſenſuum cum loquela, vehementem dolorem de peccatis meis, veram fidem, firmam ſpem, charitatem perfectam, ut pio corde dicere valeam : In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. Amen.

Benedicti XIII. Ord: Præd: P.M. à ſubitanea morte

O Miſericordiſſime Domine JESU, per tuum agonem & ſudorem ſangvineum, per tuam mortem libera me te precor à ſubitanea & improviſa morte, Amen.

O Benigniſſime Domine JESU, per acerbiſſimam & ignominioſiſſimam flagellationem, ac coronationem tuam, Crucem, & Paſſionem amariſſimam, & per tuam bonitatem precor ne me permittas improviſe mori & ſine Sacramentis de hac vita tranſire in aliam. Amen.

O Amantiſſime Domine JESU, Deus meus per omnes angores & dolores tuos, per tuum pretioſiſſimum Sangvinem ac SS. Vulnera, & per illa ultima verba quæ in Cruce pendens protuliſti : *Deus meus, Deus meus ut quid me dereliquiſti*, & per illum tuum validiſſimum clamorem : *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, ferventer te precor ne me inſperate tollas è vivis. Amen.

Manus tuæ o Redemptor mi formaverunt me totum, ne ergo repente præcipites me, ſed concede ſpatium dignæ penitentiæ, tranſitum felicem de hac vita in aliam cum gratia tua,

ut te amem toto corde, laudem & benedicam in æternum. Amen.

Domine mi JESU Christe per illa quinq; vulnera, quæ amor noster tibi inflixit in Cruce, succurre servis tuis pretiosissimmo Sangvine redemptis. Amen.

De S. JOSEPH Sponso B. V. M, & Tutore Specialissimo Agonizantium.

SAlve Pater Salvatoris, Salve Custos Redēptoris,
JOSEPH ter amabilis,
Salve Sponse Matris Dei, Salve Custos Jesu mei
Joseph ter amabilis,
Dulces cunæ dulces Panni, Dulces dies, dulces anni,
Dum nutristi Dominum,
O quam fuit admiranda, Vita tua veneranda,
Habens Dei Filium.
Jesum oculis vidisti, Et in brachijs tulisti,
O svavis felicitas,
Genis genas admovisti, Oscula dans accepisti
O quam felix svavitas.
Modo Deum appellasti, Modo Regem nominasti
Inter mille gaudia,
Modo Patrē adorandū, Modo natum adamandū
Inter mille basia.
Jesum brachijs tenere, Atq; totum possidere,
O quantæ divitiæ!
Cum Maria conversari, Dei natum amplexari,
O quantæ deliciæ!
Quis est homo qui amare Atq; Jesulum portare
Nollet suis brachiis,
Nullus est qui non ambiret, Et qui cunas non adiret,
Pro tantis delicijs.

O mi Joſeph plus amande, Et præ cunctis hono-
O Flos pudicitiæ, (rande,
Tibi tanta ſors eſt data, Quanta nulli eſt collata
Ab Authore gratiæ.
O Felicem & beatum, Cuſtodiri cui datum,
Sub Tuo præſidio,
Et qui meruit habere, Te Patronum & gaudere
Tuo Patrocinio.
Per Mariæ Tuæ Matris, Preces & Joſephi Patris
JESU Tu nos adjuva,
Ut poſſimus te videre, Et æternum poſſidere,
In Cæleſti Patria.

℣. Valde honorandus eſt Beatus Joſephus,
℟. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

Oremus. Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi quæſumus Domine meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet Ejus nobis intercesſione donetur. Per D. N. J. C.

Litaniæ de S. Ioſeph Sponſo B. V. M.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis &c. Fili Redemptor &c. Spiritus S. &c. SS. Trinitas &c.
S. Maria O. S. Dei Genitrix O. S. V. Virginū O.
SSma Sponſa Joſeph Chariſſima.
S. Joſeph Sponſe SSmæ Virginis MARIÆ,
S. Joſeph Nutritie JESU Chriſti Amantiſſime.
S. Joſeph Fili David Nobiliſſime,
S. Joſeph Germen Regum Juda,
S. Joſeph Proſapia SS. Patriarcharum,
S. Joſeph Cuſtos Venerandæ Virginis Mariæ, Ora pro nobis.

S. Joſeph Decus Sancti Matrimonij,
S. Joſeph Pium SS. V. Mariæ Solatium,
S. Joſeph Comes Peregrinationis Bmæ V. Mariæ
S. Joſeph Angelorum apparitionibus honorate,
S. Joſeph Miſteriorum Cæleſtium conſcie,
S. Joſeph Naſcentis Chriſti Adorator,
S. Joſeph Teſtis Virginitatis Mariæ,
S. Joſeph Incarnati Verbi Contemplator,
S. Joſeph in perſecutione Chriſti Præſervator,
S. Joſeph JESU Chriſti fugientis Ductor,
S. Joſeph JESU Chriſti Æducator,
S. Joſeph JESU Chriſti ſedule inquiſitor.
Ora pro nobis
S. Joſeph Donis Spiritus Sancti Ornatiſſime,
S Joſeph in humilitate profundiſſime,
S. Joſeph in laboribus conſtantiſſime,
S Joſeph in pauperrate patientiſſime,
S. Joſeph in caſtitate puriſſime,
S. Joſeph in obedientia ferventiſſime,
S. Joſeph in Juſtitia Sanctiſſime,
Ora pro nobis
S. Joſeph in contemplatione altiſſime,
S. Joſeph in charitate ardentiſſime,
S. Joſeph Patrone noſter Dulciſſime,
S. Joſeph Advocate noſter efficaciſſime,
S. Joſeph Adjutor agonizantium ſvaviſſime,
Agnus Dei qui tollis peccata &c. &c.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus qui Beatum Joſephum Caſtum Filium David Bmæ Virgini MARIÆ Sponſum providiſti & Filio tuo JESU Chriſto Nutritium elegiſti, da quæſumus ut ejus precibus & meritis tranquilla pace læ-

temur,

temur, & ad perpetuæ beatitudinis consolationem perducamur. Per D. N. J. C.

COMMENDATIO.

VIrginum Custos & Pater S. Joseph cujus fideli custodiæ ipsa innocentia JESUS Christus & Virgo Virginum in terris commissa fuit Te perutrumq; Charissimum pignus tuum JESUM & MARIAM obsecro & obtestor, ut me hâc die & in omni vita mea ab omni immunditia præservatū, mente intaminata puro corde, & casto corpore JESU & MARIÆ semper facias famulari. Amen.

Oratio ad SSS. Jesum, Mariam, & Joseph.

O Sanctissime Joseph! Jesu Filij Dei Nutritie dilectissime, Matris Dei Mariæ Sponse castissime; & si ausim dicere Pattone mi Charissime, ut in tuas manus æternus Pater Filium Unigenitum, & Filiam Immaculatam Virginem commendavit; ita tuæ protectioni ac tutellæ, corpus animam, vitam & mortem me deniq; totum cum omnibus negotijs ac desiderijs meis demississime submitto, ac omni possibili quo possum affectu, & perfectissimo, ac te unquam ullus prosecutus est amore supplico, ut me ita per vitæ hujus peregrinationem dirigas, ut ex his miserijs ereptus, ad Cœlum perveniam, sicq; fidelissimi tui patrocinij laudes æternum extollam.

O Joseph SS. per Jesu & Mariæ, amorem Te rogo, illumina intellectum, robora memoriam inflamma voluntatem, ut nihil vel ille

cogitet vel illa ſucgerat vel hæc amet, quod Jeſu Mariæ ac Tibi poſſit diſplicere, ſed ut verbis, cogitationibus & operibus omnibus, eo unice reſpiciam, ut in Jeſu Mariæ, ac tuo amore indeſinenter creſcam.

O Jeſu Maria Joſeph: mei dulciſſimi amores, veſtri amore pati, veſtri amore mori, ſum paratiſſimus.

Veſter ſim totus, & nullatenꝰ poſt hac meus. Veſtri amor mihi poſt hac ſit vita, ſit ſolatium, ſit felicitas. O SS. increatis Trinitas Jeſu Maria Joſeph, indelebili Vos charactere cordi mei incido, quod ut ſub Veſtra protectione vivit, ſic in Sanctiſſimorum Nominum Veſtrum amore cupit expirare.

Fac nos innocuam Joſeph decurrere vitam,
Sitq; tuo ſemper tuta Patrocinio. Amen.

Litania de S. M. Magdalena Patrona Pænitentium.

KYrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater de Cælis &c: Fili &c. Spiritus S. &c.
SSS. Trinitas Unus Deus, Miſerere nobis.
S. M. Magdalena, Ora pro nobis.
S. M. Mag: Exemplum pænitentiæ,
S. M. M. quæ attuliſti Alabaſtrũ ungventi,
S. M. M. quæ ſecus Pedes JESU aſtitiſti.
S. M. M. quæ lachrymis Pedes Jeſu rigaſti.
S. M. M. quæ capillis capitis ſui pedes Jeſu terſiſti.
S. M. M. Diva veſtigia Domini oſculata.
S. M. M. Cui dimiſſa ſunt peccata multa.

Ora pro nobis.

S. M.

S. M. M. ex Lebete facta fiala.
S. M. M. de Luto luci reddita.
S. M. M. in Vas translata gloriæ.
S. M. M. Margaritha præfulgida.
S M. M. Mundi Lampas.
S. M. M. Ardore Charitatis succensa.
S. M. M. Domino gratissima.
S M. M. quæ optimam partem elegisti.
S. M. M. quæ pendenti Christo in Cruce fideliter astitisti.
S. M. M Mulier fortis.
S. M. M quæ à monumento Dominico recedentibus Discipulis non recessisti.
S. M. M. quæ Christum Rrsurgentem prima Discipulorum videre meruisti.
S. M. M. quæ gloriosæ ejus dexteræ contactu signata fuisti.

Ora pro nobis

S. M. M. Apostolorum Apostola.
S. M. M. Prædicatorum Essentialis Patrona.
S. M. M. Dulcis pænitentium Advocata.
S. M. M. Sponsa Regis gloriæ.
Ut tecum mereamur o Domina perfrui felicissima illius præsentia.

Ora pro nobis

Ut in dolore, pænitentia, & contritione vitam peragamus. Ora pro nobis.
Ut quæ petimus assequamur.
Agnus Dei qui &c: Kyrie eleyson &c.

Antiphona.

O Felix felicis Meriti Maria Magdalena, quæ resurgentem à mortuis Filium Dei videre meruisti mortalium prima pro cujus amore

sæculi

sæculi contempſiſti blandimenta ſedula] nos apud ipſum quæſumus prece commenda.

℣. Optimam Partem elegit ſibi Maria,

℟. Quæ non auferetur ab ea.

Oratio Largire, &c.

2*da*. DEUS qui vigilantibus coronam æternæ beatitudinis promiſiſti, quæſumus exemplo B. M. Magdalenæ fac nos vigilijs Orationibus convenienter intendere ut cum aromatibus bonorum operum ad Te valeamus pervenire. Amen.

Gaude pia Magdalena, Spes ſalutis vitæ vena lapſorum fiducia. Gaude dulcis Advocata, Pænitendi forma data, Miſeris propitia. Gaude felix Deo grata, Cui dimiſſa ſunt peccata, Spetiuli gratia. Gaude Lotrix pedum Chriſti, à quo tanta meruiſti amoris inſignia. Gaude primo digna frui, viſu Redemptoris tui ſurgentis cum gloria. Gaude quæ ſeptennis horis, es ab antro vecta foris ad Cæli faſtigia. Fac nos hic ſic pænitere, ut poſt mortem lucis verè ſortiamur gaudia. Amen.

℣. Dimiſſa ſunt ei peccata multa,

℟. Quoniam dilexit multum.

Oremus.

DEUS qui Beatæ M. Magdalenæ pænitentiá, ita tibi placitam gratamq; effeciſti, ut non ſolum illi peccata dimitteres, verum etiam cor ejus tanta conſolationis dulcedine perluſtrares, ut lachrymis pedes tuos rigaret, da nobis ita deflere peccata noſtra, ut & hic indulgentiam

conſe-

consequamur & in omnibus petitionibus nostris propitiationis tuæ abundantiam sentiamus. Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sint tibi infinitæ laudes & gratiæ dulcissime JESU pro illo piissimo actu, quem Tibi B. M. Magdalena præstitit, dum lachrymis pedes tuos rigavit, & capillis capitis sui tersit, & deosculabatur, ideoq; tantam charitatis abundantiam cordi ejus, & animæ infudisti, quia extra Te Creatorem suum nihil amare potuit. Per merita Ejusdem Sanctæ peccatricis supplico Tibi ut mihi fontem lachrymarum veræ pænitentiæ impertiri digneris ac Tui Divinum amorem cordi meo infundere, Amen.

Orationes de S. Ioanne Nepomuceno.

O S. Joannes Nepomucene Patrone mi gratiosissime veneror te in gloria cælesti immortalitatis corona amictum, & inter Filios Dei computatum, ad Te confugio exorando ut me Tibi à Divina bonitate commissum hodie & tota vita mea tuo patrocinio protegas, & à pudore mundi custodias. Amen.

DEUS cordis mei sine cujus nutu nec capillus de capite nostro perit, per merita S. Joannis Nepom: qui de ponte dejici & mergi maluit. quàm confessionis sigillum revelare, suppliciter oro, ut in noto tibi periculo mihi subvenire digneris meq; ad omni scandalosa infamia liberare. Amen.

DEUS cui soli debetur honor & gloria, meritis

ritis S. Joannis Nepomuceni libera familiam nostram ab omni infamia, da sic uti temporali fama, ne simus infames in perpetuum. Amen.

Da etiam Domine Deus meritis ejusdem S. Joannis Nep: ante mortem, sinceram nobis confessionem salutarem pænitentiam, efficacem dolorem, ac tui ineffabilem amorem, vitæ emendationem, ac finalem in bono perseverantiam. Amen.

O Lingva benedicta S. Joannis Nep: quæ Dominum semper benedixisti, aliosq; idem docuisti, te ego humiliter exosculor, impetres lingvæ meæ taciturnitatem, injuriarum condonationem. JESU & MARIÆ amorem verum, finemq; vitæ felicem. Amen.

Litania de S. Augustino E. & C. E. D.

Kyrie eleyson Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater de Cælis &c: Fili &c: Spiritus S. &c:
SSS. Trinitas Unus Deus, Miserere nobis.
S. Pater Augustine, Ora pro nobis.
S. P. Augustine Benedicte Doctor Ecclesiæ Dei.
S. P. A. Contemptor mundi & vanitatū ejus.
S. P. A. Dux in via virtutū & perfectionis.
S. P. A. Exemplar vitæ Apostolicæ,
S. P. A. Fidei Catholicæ Defensor Fortissime.
S. P. A. Gemma Sacerdotum.
S. P. A. Homo Cælestis.
S. P. A. Jesu Christi Crucifixi & SSmæ Virginis Mariæ Amator ardentissime.
Sancte ... Lucerna Charitatis Ardens & lucens,
Mallee & Eversor Hereticorum Validissime,
(Ora pro nobis)

S. Pater

S. Pater Augustine

Norma abstinentiæ & castitatis Purissima

Orphanorum Tutor,

Professor profundæ paupertatis,

Quietissime Vir Dei,

Reportator ovium perditarum,

Sal terræ corda nostra condiens,

Tuba resonans Spiritus Sancti,

Vas redundans Divinæ Charitatis.

Zelator Animarum mirifice,

Ora pro nobis

Ad Te confugimus. Impetra nobis gratiam.

Per Lachrymas S Matris tuæ Monicæ, Imp:

Per Admirabilem vocationem tuam, Imp: n. g.

Per S. Baptismum tuum, Impetra nobis gratiā.

Per SS. Labores quibus Ecclesiam militantem locupletasti.

Per merita Sanctorum quos Deo mundoq; peperit Ordo Canonicus, aliæq; sub tua Sancta Regula militantes Religiones. Im: n. g.

Ut veri Filij Dei efficiamur.

Roga Deum quæsumus.

Ut hymnum quem cum Sancto Ambrosio mirabiliter decantasti & nos tecum in Cælo decantare possimus. Roga Deum quæsumus

Ut omnibus benefactoribus nostris vivis & defunctis sempiterna bona retribuantur. Rog:

Ut omnibus defunctis religiosis requies æterna donetur. Roga Deum quæsumus.

Ut tuo Sancto ductu securi redeamus ad Patriam, Roga Deum quæsumus.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, &c: &c:

Magne S. Augustine preces nostras suscipe & per eas Conditori nos placare satage

atq; rege gregem tuum summum decus Præsulum. ℣, Ora pro nobis B. P. A. &c:

Oremus.

DEUS qui nos per Evangelium Filij Tui & per exhortationem Beatissimi Augustini, ad salutiferæ Crucis militiam congregasti, præsta quæsumus ut ejusdem gloriosi Antistitis tui muniti suffragijs, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante impleamus. Per D. N. J. C.

Oratio Ejusdem S. Patris.

Sumpta ex tabula Lateranensis Ecclesiæ, quam quoties quis contritus devote dixerit, octuaginta millia annorum, indulgentias consequetur, & qui quadraginta diebus eam dixerit plenariam peccatorum remissionem obtinebit quam Bonifacius VIII. concessit, Benedictus XI. confirmavit.

DEUS qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda proditore osculo tradi vinculis alligari, atq; sicut Agnus innocens ad victimam duci, atq; conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, clavis cruci affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari, Tu Domine per has Sanctissimas pænas tuas quas ego indignus recolo & per sanctam Crucem & mortem

tem tuam libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio de S. Sindone.

DEus, qui nobis in Sancta Syndone, quâ Corpus tuum sacratissimum è Cruce depositum à Joseph involutum fuit, Passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius, ut per mortem & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate spiritus Sancti Deus, per omnia, &c:

Dum Indulgentiæ conceduntur

Actus pro statu Ecclesiæ.

O Pater Misericordiarum respice in faciem Christi tui qui clamore valido & lacbrymis interpellat pro Sponsa sua Ecclesia Matre nostra.

Ecce mi Pater profusus ille corporis sudor, horrendæ spinæ capitis, calidi fontes oculorũ, clavi manuum & pedum, livores & vulnera, & vox sangvinis Fratris nostri JESU Christi clamat ad te de Cruce.

Audi o Pater! ad hujus suspiria & gemitus moti sunt, scissi sunt lapides, & tenerrima misericordiæ tuæ viscera non flectentur?

Protege & defende Pater Clementissime populum tuum contra hostium ferociam. Ne tradas bestijs animas confidentes tibi & animas Pauperum tuorum ne projicias in finem.

Custodi Domine omnes & conserva, qui te sincero corde & ore confitentur, ne à falsis prophetis seducantur, coerce potentiam illorum, machinationes detege & consilia adversus Ecclesiam tuam dissolve.

Da fidelibus tuis misericors Domine, ut in pace & tranquillitare, ac unione, incessanter amemus & laudemus te, ut doctrinam tuam agnoscamus, teq; ad mortem usq; constanter sequamur.

Intentio & Præparatio.

OMnipotens Deus nec numerus, nec mensura est peccatorum meorum quibus Divinã Majestatem tuam læsi, & hæc tu quidem per pænitentiæ Sacramentum rite confessa ignoscis & remittis, sed tamen rei sumus temporaliũ pænarum, quibus exsolvendis opera nostra non sufficiunt. Quare ad inexhaustum Thesaurum meritorum Salvatoris Nostri JESU Christi confugimus & obsecramus, ut per illa debitæ pro nostris peccatis pænæ indulgentiam & remissionem, ad placitum ejus in terra Vicarij, cui potestas hæc cõmissa est impetrare concedas.

Ideo enim præscripta in literis Apostolicis opera pro lucrandis Indulgentijs peragere institui, id unum humiliter deprecans amantissime Pater, ut hæc mea opera ex se prorsus exigua, in unione meritorum Passionis & mortis Unigeniti Filij Tui JESU Christi in satisfactionem admittere, & suscipere velis & me de indulgentijs his & pænarum temporalium remissione participare concedas, Amen.

FORMULA ORANDI.

I. DEUS omnium Fidelium Paſtor & Rector cujus Spiritu totum Ecclesiæ Corpus ſanctificatur & regitur, quiq; gloriam tuam omnibus in Chriſto gentibus revelaſti, cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto Orbe diffuſa, bonorum omnium incremento augeatur & ſtabili fide in confeſſione tui nominis perſeveret. Per Eundem D. N J. C.

II. DEUS Largitor pacis & amator charitatis, da famulis tuis, Regibus & Principibus Chriſtianis, veram cum tua voluntate concordiam ut bellis, diſſenſionibus, & omni perturbatione ſubmota, ſecura tibi ſerviat Chriſtiana libertas. Per D. N. J C.

III. Omnipotens ſempiterne DEUS qui neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæreticâ pravitate depoſita, errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant unitâtem. Per D. N J. C.

Poſt ſepties Pater noſter: Ave Maria: Credo.

Dum Indulgentia anima in purgatorio applicatur.

AMantiſſime JESU miſerere animæ hujus N. luſtrali incendio torridæ pro cujus exemptione indulgentiam hanc communionis meæ, & per eam divini ſangvinis tui pretium infinitum Tibi offero, fac ut hæc anima de purgatorio liberetur atq; in deſiderabiliſſimos amoris tui amplexus volet, occupet rebellium olim Angelorum ſedem optatiſſimam, ut cantet miſericordias tuas in æternum. Amen.

Trina

Trina oratio ad SSS. Trinitatem ex Fasciculo antiquo Ord: Præd: Quam qui flexis genibus devotè dixerit gratias agendo SSS. Trinitati pro privilegijs collatis in assumptione SS. V. Mariæ huic specialem gratiã & in morte misericordiam S. V. Maria appromisit præstare.

Ad Patrem Æternum.

Dicatur Pr noster. Ave Maria & 1. Gloria Pat

EGo cum tota Curia Cælesti, Te adoro Pater Æterne, Deum meum & Dominum, & infinitas ago Tibi gratias, Nomine Beatissimæ Virginis, Tuæ dilectissimæ Filiæ MARIÆ pro omnibus donis & favoribus maximis in eam diffusis, & specialiter pro illa potentia quam ei in cælum assumptæ contulisti.

Ad Filium Æternum.

Dicat: Pr, Nr. Ave Maria 1. Gloria P.

EGo cum tota Curia Cælesti Te adoro Æterne Fili, Deum meum, Dominum meum, & Redemptorem, & infinitas ago Tibi gratias Nomine Beatissimæ Virginis, tuæ dilectissimæ Matris MARIÆ pro omnibus donis & favoribus maximis ei collatis, & specialiter pro summa illa sapientia, qua eam assumptam in cælum illuminasti.

Ad Spiritum S. Æternum.

Pr. Nr, 1. Ave Maria 1. Gloria Patri 1.

EGo cum tota Curia Cælesti Te adoro Sanctissime Spiritus Paraclete Deum meum & Domi-

Dominum, & infinitas ago tibi gratias Nomine Beatissimæ Virginis MARIÆ Sponsæ tuæ Dulcissimæ, pro omnibus donis & favoribus maximis ei concessis & specialiter pro illa perfectissima & Divina Charitate, qua Sanctissimum ejus ac purissimum Cor Virgineum inflammasti in actu gloriosæ Ejus in cælum assumptionis.

In hac devotione semper petat fidelis devotus à B. V. MARIA Dei Matre gratiam illam quæ sibi in vita sua magis visa fuerit necessaria.

Ex Quatera Rosariana Patr: S. Th: M. Dominici Fridrychowicz.

JEsus Christus regnans in Cælis sua SS. V. Matri Maria revelavit, & dixit audiente S. Joanne Evangelista. quod quicunq; dolores Ejus in Cruce pendentis, & compassionem S. V. M. sub Cruce stantis recolleret, sequentes gratias obtinebit.

1. Si quis Virginem precaretur per Ejus dolores, is ante mortem, verum dolorem peccatorum obtinebit.

2. Instanté morte præsidio Virginis munietur

3. Cordi Ejus Virginea supplicia inscribentur, pro quo magnã habebit remuneratione,

4. Suæ Sanctissimæ Matri concessit omne illud dare quidquid pro tali petierit, Amen.

Responsoriũ S. Bonaventuræ ad S. Antoniũ de Pad:

SI quæris miracula; Mors error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, ægri surgunt sani,

Pereunt pericula cessat & necessitas: narrent hi, qui sentiunt, dicant Padvani,

Cedunt, Mare, Vincula; Membra, resq; perditas petunt, & accipiunt juvenes & cani.

Gloria Patri & Filiu & Spiritui &c:

℣. Ora pro nobis &c. R. Ut digni &c:

Oremus.

ECclesiam Tuam DEUS B. Antonij Confessoris Tui deprecatio votiva lætificet; ut & Spiritualibus semper muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis.

Interveniat quæsumus Domine, apud te pro nobis intercedendo: Sanctus & gloriosus tuus Confessor Antonius, quem innumeris maximorum miraculorum donis, & gloria sublimasti. Per Dominum D. N. J. C.

Alia Oratio ad Eundem S.

MItissime ac Clementissime JESU, qui B. Antonium Confessorem tuum perpetuis illustras miraculorum splendoribus; Concede propitius: ut quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejusdem intercessionem efficaciter consequamur, Amen

Ecce ✠ Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de Tribu Juda, Radix David Alleluia.

Responsorium de S. Cajetano Confess:

QUærite primum Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

℣. Ora pro nobis Sancte Cajetane,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Xti.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Sanctum Cajetanum, mirabili confidentia tuæ pro-

videntiæ terrena despicere confortasti, & cælestibus donis locupletasti: Concede propitius, ut qui eius memoriam celebramus, pariter & intercessione, tuâ Divinâ bonitate consolemur. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Ad S. Onuphrium.

AVe Homo Cælicola, Onuphri Eremicola.
Soli conjuncte Numini, Note vix uni homini
Palma te cibat Fructibus, Sed Deus Cæli dapibꝰ
In pabulo vivifico; Obsequio Angelico.
Promissas tibi gratias, Nos obtinere facias.
Juva tuum in omnibus Servum Onuphri casibꝰ.

Aspiratio.

ONuphri Sanctissime Cultor deserti meritis ac virtutibus plene, Domini benectio tecū, Benedicta sit austerissima vita tua, morsq; tua felicissima Angelorum Concentibus celebrata, & benedictus sit DEUS per æterna sæcula, qui te sua illustravit gratia, ut spreto mundo, Regnique Persarum solio, ad Antra deserti Duce Angelo confugeres, ubi inter feras Angelicam vitam sexaginta annis duxisti, proque Regalibus delicijs, quavis hebdomada, Sanctissimæ Eucharistiæ epulo refici meruisti. O Sancte Onuphri dulcissime Patrone mi, succurre mihi in præsenti necessitate, quam tibi repræsento, sicut Te piè invocaturis promisisti, Amen.

3. *Pr. Nr.* 3, *Ave Maria,* 1. *Credo.*

Authoritates SS. PP. incommodum Recollizantū.

INveni in Sacra Scriptura 8. modos orandi, 1*mus* est elevando oculos ex confidentia.

2dus deprimendo caput ad terram ex verecundia. *3tius* extendendo manus in Altum ex indigentia, *4tus* decussando ulnas ex conscientia. *5tus* tundendo pectus ex conscientia. *6tus* inclinando corpus ex devotione, *7mus* flectendo genua ex subjectione; *8vus* prosternendo se totum ex defectione. *S. Vincent. Ferr: D. 16. Trin:*

Rem terrenam ab homine terreno quærimus & propè usq; ad terram nos humiliter inclinamus, & à Deo remissionem peccatorum & æternam requiem inquirentes, nec capitá nostra inclinare dignamur. *B. Cæsar: Arelatens.*

Romæ in Ecclesia dum elevaretur Corpus Christi, quidam juvenis noluit flectere genuá! cui diabolus visibilis, dedit alapam dicens: ó proditor Christiane! pro quibus tanta fecit Christus, si fecisset centesimam partem pro nobis eorum quæ fecit pro vobis, nocte & die servissemus ei genibus flexis. *S. Vincentius Ferr. ser: 6. D. 16. Trin:*

Si quis cum magno Viro aliquó & admirábili multum versatur ex ejus consvetudine maximum fructum accipit, quanto magis, qui cum Deo perpetuam habet consvetudinem. *S. Chrys.*

Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur. *S. Hieron: ad Eustach: Episc: 22.*

Hic Versiculus: *Deus in adjutorium meum intende*, omnibus infestatione dæmonis laborantibus, inexpugnabilis muris est & impene-

trabi-

trabilis lorica, ac munitissimus clipeus. Hunc versiculum meditanti tibi somnus obrepat, donec incessabili ejus exercitatione formatus, etiã per soporem eum decantare consvescas, hic tibi expergefacto primus occurrat, is te evigilante cogitationes anticipet universas. *Isaac Ab:*

Meditatio. Qui habent defectum consideratio-nis (*id est orationis mentalis*) inconsiderate volunt loquntur, & operantur. *S. Thom: Aqu: Opus* 38.

Recollectiones neglectæ sunt causa malæ vitæ in Religiosis. *Ludovicus Blosius:*

Prædicatio. Si mercedem suam non perdet qui calicem frigidæ aquæ porrigit sitienti, quantam mercedem recipiet qui animæ perpetuè victuræ salutaris sapientiæ aquam, scribendo ministrat quot enim literas debite formas, tot Deo hostias laudis offers. *Thomas à Kem: Con:* 20,

In prædicatione complentur opera misericordiæ, quia ibi captivi dæmonum contritione redimuntur, esurientes Verbo Domini pascuntur, infirmi ex peccato visitantur, nudi virtutibꝰ induuntur, & sic de alijs. *S. Vincentius Ferr: Ser: de S. Th: Aquin:*

Bene docendo instruitur quidem populus quomodo debeat bene vivere; at bene docendo & male vivendo instruitur Deus quomodo talem Doctorem debeat condemnare. *S. Aug:*

Conversatio. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt in ore Sacerdotis & Religiosi blasphemiæ consecrasti os tuũ Evangelio ac votis, talibus jã aperire

rire illicitum, asvescere Sacrilegum est, fædè ad cachinnos moveris, fœdius moves. *S Bern:*

Advenient die judicij non quæretur à nobis quid legimus, sed quid fecimus, nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus *Drexelius S. I. in præfat:*

Paupertas, Instanter admoneo, ut non plus pecuniæ quam animabus studeas, quia Redemptor noster è Sacerdotis officio non requiret aurum sed animas, *S. Gregorius.*

Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt, quid divitiæ illæ, cæcos delectant oculos quibus mercaris tam grave judicium, tam dure obliges teipsum rationi, conceditur. ut si altari servis de altari vivas, non autem ut de altari luxurieris. *S. Bernardus.*

Humilitas, Ignominiam, vilem de se æstimationem non modo hilariter ferre & patienter sed & appetere, nam qui ægre fert hominum de se vilem opinionem, talis etiamsi miracula faceret non est perfectus. *S. Th. Aquin:*

Hæc est altissima & utilissima lectio sui ipsius vera cognitio & despectio, de seipso nihil tenere de alijs bene & alte sentire magna est sapientia & perfectio. *Gierson.*

Alphabetum Tauleri Ord: Præd:

A. Ah affectum doloris contritionis nos instruit non ne habes pro quo? pro peccatis quib9 Deum offendisti, Cælum amisisti, infernum acquisivisti, tempus perdidisti.

B. Benedic Deum pete remissionem peccatorũ & emendationem.

C. Cha-

C. Charitatem Dei & proximi serva, hæc fundamentum est Christianæ perfectionis.
D. Devotionem serio custodi hæc consistit non ut plurimum sed bene & attente oremus.
E. Evangelium D. N. J. C. norma est vitæ nostræ principalissima, Ecclesia verò monstrat exempla sanctorum.
F. Favores, laudes, populi tanquam venenum fuge cum magna sedulitate abjiciendo.
G. Gloriam Dei in omnibus quære gulā vita.
H. Humanitas sine scurilitate omnibus exhibeatur & hæc vera servetur.
I. Iram neq; internam nec externam fove, omnia in patientia posside.
L. Lingvam frena ab omnibus impertinentibus discursibus,
M. Mendatium etiam minimum vita Meditationem nunquam omitte, Modestiam in victu amictu serva. Mortificatio sensuum magistra.
N. Nega fortiter passionibus appetitum etiam ad sangvinem.
O. Offeras Te & omnia in obsequium Dei & proximi.
P. Præsentiam Dei sedulo respice qui omnia continuo intuetur.
Q. Quadrantem saltim quotidie de vesperi, meridie & mane tribue examini conscientiæ ac orationi.
R. Recreationes sæculares vita.
S. Solitudinem ama, societatem tumultuosam fuge

fuge ut Deo promptius obedeas, lætar
contemptu.
T. Tribulationes memoria passionis D. N. J. C
modifica.
Væ Æternum, & Cæli gaudia contemplare.
Y. Bivium monstrat tibi duas vias, mortifica-
tionis & delitiarum duosq; terminos post
mortem. Salutis æternæ & damnationis,
hinc semper memorare novissima & non
peccabis.
Z. Zabulon ne te circumveniat semper aliquid
boni operis facito, sive cogitando, sive lo-
quendo ut omnia tua dicta, facta, cogitata
sint ad majorem Dei Gloriam. B. V. M.
Honorem SSq, OO. Venerationem.

Ignis
altaris
et
Divini
Officii